



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

Opp.

49

m(3)

C D R E
O P E

TOM FEI

TOM T


G. D. BREWER
C. D. BREWER

m/3

64

Opp.

Tom. III.





Digitized by Google

Oggi. 49 Marzo

VOLUME 3.

Fogli di Stampa Num. 20 a Soldi
quattro il Foglio a norma del
manifesto _____ L. 9:-
Legatura _____ L. :51

Summa L. 9:51

<36614783370013

<36614783370017

Bayer. Staatsbibliot

+

Appo. 49 m - 3

O P E R E
LATINE E ITALIANE
D E L L' A B A T E
GIULIO CESARE CORDARA
DEI CONTI DI CALAMANDRANA.

T O M O III.

JULII CAESARIS
CORDARAE
E SOCIETATE JESU

ORATIONES ET CARMINA.

V E N E T I E

1804.

Apud Justinum Pasquali Marii filium.
Cum Approbatione et Privilegio.

40/69/1186

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

S. R. E. CARDINALI

NICOLAO GIUDICE

*Germaniae, ac totius Austriacae ditionis
apud S. Sedem Comprotectori*

JULIUS CORDARA


FELICITATEM.

*N*on diu anceps hærere debui *CARDINALIS AMPLISSIME*, ut statuerem, Tibi præ reliquis Orationem hanc meam esse nuncupandam. Difficile nimurum est *CAROLI SEXTI Imperatoris recordari velle*, quin

statim in mentem veniat que fuerit. Il-
 lius erga Te benevolentia, que tua erga
 Ipsum voluntas, quantaque inter utrumque
 vel amoris, vel studii significaciones inter-
 cesserint. Quantum Ille Te dilexerit, quan-
 ti fecerit semper, quantum auctoritati tue
 tribuendum duxerit, testem habeo Romam
 universam: Nam & gravissima Tibi sem-
 per negotia concredidit, & nihil apud
 hanc Pontificiam Sedem Te inconsulto su-
 scepit, & Te tandem ex omni Cardina-
 lium Senatu perhonorifico judicio suo dele-
 tum voluit, cuius patrocinio committeret
 Regnorum suorum omnium causas, quas
 huc affери contingere. Quo vero studio,
 qua diligentia fidem Illi Tuam rebus omni-
 bus probaveris, prastiterisque, ut concepta
 de Te fiduciae curarum tuarum fructus cu-
 mulatissime responderet, novimus quicumque
 Te jam tot annos, non dignitate solum,
 sed consilio, sed existimatione, sed omni

virtutum genere cum primis in hac Urbe
 florentem intuemur: Ut propterea Tibi tua
 quasi jure vindices quidquid ad amplissimam
CÆSARIS memoriam ullo modo pertineat.
 Cum itaque funebrem Ei laudationem ego
 adornare debuerim, que esset pro maximis
 Ejus, atque immortalibus in Societatem no-
 stram beneficiis aliquod grati animi docu-
 mentum; Nulli certe ea debebatur potius
 quam Tibi, cuius præsertim opera effectum
 est, ut ad nobilissimam leb̄tissimamque fre-
 quentiam a me publice recitaretur. Unum
 erat quod nonnihil pertimescerem, acre il-
 lud tuum ac perspicax de litterariis quibus
 cunque rebus judicium, quo facis, ut nihil
 Tibi subjiciendum videatur, quod perfecte
 elaboratum non sit ac perpolitum: Verum
 timori huic meo opportune se obtulit Tua
 illa singularis, ac nulli non perspecta hu-
 manitas, cuius erit, non modo Oratoris te-
 nuitatem excusare, verum etiam perspicere,

*an ipsius vitio omnino tribuendum sit, quod
minus copiose ac diserte dixerit de laudibus
eius Principis, qui virtutum suarum magni-
tudine ipse tandem effecit, ut nulla possit
Ei par Oratio inveniri.*



I N F U N E R E
C A R O L I S E X T I
I M P E R A T O R I S
O R A T I O

Habita in Collegio Romano

XIII. KALENDAS APRILES MDCCXLII.

Numquam mihi in mentem venerat, Auditores, fieri posse, ut qui olim CAROLI SEXTI Imperatoris res gestas, atque victorias ex hoc eodem loco celebrari saepius audivissem, ejusdem ego hodie acerbissimum funus, ac vix consolabile desiderium, lugubri essem Oratione prosecuturus. Et quamquam disertissimus, qui ante me dixerunt, Viris suffectum esse, mihi perhonorificum ducam, eo tamen deteriorem esse intelligo conditionem meam, quod cum de re per se multo luctuosissima verba facere debeo, tum vero ad eos sermo habendus est, qui ut incredibili quodam voluptatis sensu vivi laudes excipere conqueverunt, ita ægre admodum de ejus Morte dicentem exaudituri videantur. Proh Superi im-

mortales! Ut me omnia in ipso Orationis ingressu perterrefaciunt, eaque etiam quæ oculis obversantur! Nam quæ rerum conversio! quam dispar horum parietum pompa! quam dissimiles Auditorum vultus! quam mutata omnia! Ut mallem ego certe nullum, quam hunc extremum mihi ad dicendum locum obtigisse. Et sane si dolori ego vestro, quem in ipsis omnium oculis, atque ore eminentem intueor, indulgere velim; quo tandem Orationis genere utendum mihi erit, quod antea omnium opinioni respondeat, aut quid ego tale ac tantum proferre potero, quo longe majus quiddam acerbiusque non insinu inclusum contineatis? Sin autem mutato consilio, aliquod tantæ acerbitatæ lenimentum adhibere statuam, præterquamquod vereor ne iniquum, ac turpe sit lacrymas, hec nimis justas, in hoc tanto Reipublicæ damnatio prohibere velle, qua tandem ratione eam rem obtainere possim omnino non video. Sive enim egregias CAROLI dotes, atque ornamenta, quibus, & floruit ipse dum vixit, & ad omnes consecuturas ætates ejus vigebit memoria, commemorem; recrudescet hac ipsa recordatione hærens animo vulnus, coque dolendum vehementius statuetis, quod tam providum, tam pium, tam munificum Imperatorem amiseritis. Sive præclaras ejus virtutes de industria dissimulem, succensebitis mihi, nec immerito, quod ejus Viri laudibus, quem carissimum semper habuistis, aliquid sub-

trahatur: Et nihilominus quæ a me consulto
prætermissa fuerint, faciti intra vos ipsi re-
coletis, atque iterum conceptus animo dolor
tantarum rerum memoria exulcerabitur. In
hoc itaque tam diffici scopolosoque loco
cum verser, in quo, & silere, & loqui dif-
ficile est seque, dolorique vestro obsecundare
ac contraire æque periculosum; Date mihi
quæso hanc veniam Auditores, ut saltem tre-
pidationem meam libere profiteri possim,
eamque non usitato Oratorum artificio emen-
titam, sed ex intimo animi mei sensu pro-
fectam existimate. Tum venustum ornatum
que Orationis genus nolite per Deum immor-
talem ex me querere, qui in eo rerum ar-
ticulo, nescio quo fato, sum constitutus,
ut tum denique bene, feliciterque officio meo
perfunctus videri debeam, si vestros animos;
non dicam cum sueunditate aliqua; (Quis
enim jam supersit voluptati locus in tanto
Reipublicæ squalore, ac tam communi bono-
rum omnium luctu?) sed omnino sine offen-
sione detinuero. Non id equidem ago ut vos
oblestem, aut ut ab isto mœrore vos planè
erigam sublevemque: sed tamen non abji-
ciendum esse omnino animum, ponendum
aliquem dolori modum, atque illud quod jam
prohibere non possis, modeste ferendum es-
se, supremis denique, iisque Sanctissimis
Dei O. M. voluntatibus, cuius nutu consi-
lioque vertuntur Mortaliū vices, haud gra-
vate esse acquiescendum, Oratione mea con-

tendam; atque ita contendam, ut quæcumque ex me audietis, non tam præstantissimi Cæsaris laudationem, quam Cœlestis Providentiæ defensionem aliquam continere videantur.

Neque vero is ego sum, qui non videam, quantam in hoc uno funere cladem Respubli-
ca acceperit universa, ac Religio in primis,
qua non mediocre sue dignitatis præsidium,
ac columnam jam pridem in CAROLO constituis-
set. Publicam Europæ tranquillitatem hoc in-
fortunio convulsam, Germaniam iterum bel-
lorum ærumnis implicitam, aut certe bello-
rum periculis, ac suspicionibus æstuantem,
Austriacam stirpem tot late gentium domi-
nam firmissimo rerum suarum propugnaculo
destitutam, Bonorum denique omnium spes
uno iictu sublatas, eodemque quo ipse tumulo
consepultas, mihi ante oculos pono; nec sa-
ne possum me cohibere, quin eos beatissi-
mos prædicem, qui in aliam æstatem reserva-
ti, tantam nostrorum temporum calamitatem
memoria quidem repetent, sed oculis ipsi
suis non videbunt. Moveor etiam, ut vere
dicam, ac vehementer angor miserandis il-
lorum vocibus, qui tam egregio Imperatore
omni alio tempore maluissent quam isto pri-
vari; idque etiam tolerabilius putareut, si
modo virilem Sobolem tot Mortalium omnium
votis expetitam, sibi superstitem reliquisset.
Huncine Virum, ajunt illi, quem immorta-
lem esse oportuit, quem salvum florentem-

que nemo non impensissime vellet, cuius de-
nique salus cum communi esset omnium in-
columitate conjuncta, tam cito, tam inopi-
nato, tam præter omnium expectationem oc-
cumbere debuisse; atque eo potissimum tem-
pore, cum Regum dissidiis utcunque compo-
sitis, per Italiam, Germaniam, Hungariam
que armorum strepitus aliquando conquevis-
set, cum superiorum temporum cicatrices vix
tandem obduci cœptæ essent, cum redditæ
Europæ optatissima Pace; Catholici Principes
optime inter se omnes consentire viderentur;
cum Romanæ Ecclesiæ post satis diurnam
viduitatem is demum Pontifex divinitus datus
esset, quo nemo melius posset resurgentem
Christianæ rei dignitatem consilio, virtute,
auctoritate sua asserere, atque firmare, cum
denique nullus esset, qui non sibi post ærum-
nosissimos dies aura quadam felicitatis recrea-
ti videretur, melioresque etiam res in po-
sterum animo; ac cogitatione præiperet;
Tunc maxime Augustum Principem de medio
folli debuisse? Nec illi saltem licuisse mascu-
lam Prolem regnorum, ac virtutum suarum
hæredem post se relinquere; Nec potuisse
saltem ex inclita Filia Nepotem ullum vide-
re, qui Majorum nomen, ac gloriam iterum
excitaret, atque illam tot Heroum seriem mo-
do paululum interruptam restitueret ac conti-
nuaret? Oh miseram, ac miserandam homini-
num conditionem, siquidem tam facilis ac
prona est ex gaudio in mœrem conversio!

Oh gravem acerbissimumque casum, quo una
tot laborum consiliorumque fructus interiit!
*Oh CAROLI mortem multo luctuosissimam, quo
sublato miseri sumus, quo vivo atque incolu-
mi, felices fortunatique essemus!*

Quas ego illorum querimonias immensa quan-
dam vi doloris expressas, etsi non reprehendam,
minime tamen ferendum puto, eo us-
que prorumpere hominum acerbitatem, ut
Sanctissimam quoque Numinis Providentiam
licentius interdum audaciusque accusent, ac
tantum non inclemetiae alicujus arcessant,
cujus nutu ac voluntate CAROLUS ab hac vi-
ta migraverit. Et quamquam occultiora Divi-
næ mentis consilia humanis rationibus æsti-
mare sit nefas, eaque venerari potius religio-
se, quam curiosius intropicere nostrarum par-
tium officiique sit: videor mihi nihilominus
in hoc ipso tam lacrymabili casu videre quid-
dam communibus, atque usitatis Providentia
legibus adeo consentaneum, ut quamvis do-
lendum maxime sit, factum tamen reprehendere
non debeamus, vix etiam mirari possi-
mus. Atque ut rationem ejus, quod dico,
omnem evolvam, vobisque quamplanissime ex-
ponam, sinit me, Auditores, paulo altius
exordiri, ac mecum illud quæso reputate,
eam esse humanarum rerum omnium naturam
atque indolem, ut certa ac definita habeant
incrementa per suos gradus: Ubi vero ad ex-
tremum, quo nihil supra esse videatur, ad-
ductæ fuerint, finem habeant suum, aut cer-

te paululum hærent, novusque ex iis rerum
ordo duci incipiat, atque ad aliam seriem no-
vus quasi aditus aperiatur.

Non aliam equidem perennitatem fluxis fu-
gacibusque hujus vitæ rebus tribuere ego au-
deam: Nam perpetua illa ac constans causarum
veluti colligatio, quæ sine ullo timquam
flexu aut impedimento in infinitum excurrat,
facile quidem fingi potest, sed in hac perpe-
tua rerum terrestrium mobilitate atque incon-
stantia, totque inter fortunæ vicissitudines
reperiri omnino non potest. Quod si hæc ve-
ra sunt, ut neminem vestrum dubitare arbi-
tror, redite jam in memoriam, quæ fuerint
Austriacæ domus exordia, ac veluti rudimen-
ta, quibusque illa consiliis, rebusque gestis
in tantam amplitudinem excreverit, diligen-
ter queso considerate: ac si ea ipsa virtu-
tum ornamenta, ex quibus initium duxit po-
tentia, ac dignitatis suæ, ita in CAROLO
SEXTO, atque in ea prorsus ætate qua mor-
tuus est, exaggerata invenietis, ut ne décre-
scent potius, quam ulterius in posterum
progredierentur merito timendum esset; Tum
demum statuite utrum, in alio potius quam
in ipso hærere debuerit: Et siquidem metam
aliquam esse oportuit ad quam impingeret,
& unde nova Heroum continuatio inchoanda
esset, vos ipsi judicete utrum in alio magis
quam in ipso esset hic terminus constituendus.

Mihi quidem persuasissimum est, duabus
principue virtutibus Augustam Austriacorum

Familiam in hunc tantum splendorem, quantum nos intuemur, proiectam esse, Magnitudine animi, ac Religione, quarum prima insigne gentilitium, quo nunc etiam utitur, adepta est; Altera vero Romanum Imperium obtinuit, ac mira quadam Imperatorum successione sibi quodammodo proprium atque hereditarium fecit. Et quamquam notissima haec sunt omniumque sermonibus perulgata; Nihil tamen prohibet, quin vobis hoc loco in mentem revocem duo illa vetustissima Austriacæ Gentis lâmina, Leopoldum Henrici Ducis Austricæ primi Filium, ac Rudolfum in Austriacorum Cæsarum serie primum, quorum alter in Ptolemaidis expugnatione cum atrocius sæviisset, multisque hostium cæsis ad suos se post ferocissimum prælium receperisset, ita totus sanguine Barbarorum suffusus inventus est, nihil ut in eo non rubrum, ac sanguinolentum conspiceretur, præter eam Corporis partem, quam balteus superinductus intersecuerat: Quo aspectu mirandum in modum commotus Fridericus Imperator, simulque hominis virtutem incredibilem, ac fortitudinem demiratus, nova illi insignia, albam videlicet zonam per rubicundum Clypeum transversim ductam, non sine exercitus suffragio, ac consensione concessit. Alter vera cum per incultam planitiem cum equestri, uti fit, comitatu venationis causa volitaret, vidissetque casu hominem Sacerdotalis ordinis Sacram Eucharistiam ad ægrotum aliquem vil-

li.

licum deferentem, non est passus illum sa-
cerarum Religionum Ministrum, qui secum
rem tantam haberet, pedibus se suis ferre
ac solitarium abire, se interim profano ho-
mione nobili equo insidente, multisque famu-
lis circumstipato: Itaque equo desiliens pri-
mum, tum in genua provolutus cum paulisper
venerabundus adstitisset, ad extremum
negat tantam perversitatem posse se ferre aut
debere, ut servus Domino melius commodius
que haberet; Sacerdotem vero equo insidere
jussum deducit ipse pedibus per reliquum
quod supererat viæ, ac demum equo ipso
perquam liberaliter donatum, non sine om-
nium, qui aderant, admiratione dimittit.
Quæ res sane admirabilis atque ante illud
tempus inaudita, usque adeo Deo accepta
fuit, ut ea maxime causa Romanum Impe-
rium sibi brevi deferendum non obscuris in-
dicis intellexerit. Quid ad hæc Auditores?
Ecquid nondum intelligitis, quibus tandem
præsidiis domum hanc suam primi illi Au-
striacæ stirpis Parentes, ac veluti Fundato-
res, jam tum ab initio communierint, quæque
illi futuræ amplitudinis fundamenta jecerint?

Atque has quidem virtutes a Majoribus
illis ad totam deinde posteritatem transmis-
sas, aliisque ex aliis hæreditaria successione
traditas, eo usque derivari par erat, donec
esset quo crescere augerique posse videren-
tur. Ubi vero ad CAROLUM ventum est,
tantus in eo factus est earum cumulus, ut

cum a Liberis, si quos forte relinquoret, superari ægre admodum posset, cum sine virili prole decadere ipsa rerum humanarum conditione oportuerit: Ea tamen lege, quantum augurari mens potest, constituta, ut novus Herorum ordo ex ipsius sanguine instauraretur, ad quem iterum totius Familiae decora, atque ornamenta manarent. Quæ ferme pacto videmus confluentibus undique rivis augeri flumina atque intumescere, donec in mare devolvantur: Cum vero paululum in ea aquarum immensitate conquieverint, iterum per abditos Terræ ductus (nisi si æthereum hoc iter longiusque sit) crumpunt, atque alios per apertam superficiem cursus instituunt.

Agite jam, sic vos superi ament Auditores: quanta fuisse CAROLUM religione existimatis, qui ita ab ineunte ætate religiosissimorum hominum solertia, ac Matri præser-tim, sanctissimæ illius Foeminae Eleonoræ cura, atque industria institutus sit, nihil ut pietate erga Deum habueret antiquius, resque hujus vitæ omnes, potentiam, opes, estimacionem, vitam denique ipsam longe æternæ saluti, ad quam unice natum se factumque sciret, posthabendam judicaret j. Quid illo religiosius umquam fuit, qui prius Christianum se esse, quam Terragum Dominum probe intelligeret, quamque sibi a subiectis Papulis venerationem deferri videret, candem potiori iure a se Deo dehinc animadver-

teret? Vos hujus rei testes appello Viennen-
ses Cives, vos quotquot Urbem illam Au-
striæ Principem celebravistis, vos inquam oro
atque obtestor, ut quæ ipsi quotidie videba-
tis tam eximiæ pietatis documenta in medium
afferre velitis. Quoties ille vobis intra anni
spatium ad omne Religionis officium exemplo
præbat suo, sive publicis supplicationibus
sive Regio interdum cultu interesseret, sive
ad Sacras Aedes Deum precaturus accederet,
sive in domestico Sacrario sanctiora Ecclesiæ
Mysteria religiosissime obiret, sive pias con-
ciones demisso vultu, intentoque animo ex-
ciperet! quæ quidem omnia ita in omnium
oculis versabautur, ut jam quotidiano fere
usu, ac consuetudine admirationem nullam
afferrent. Sed plane intra pietatis ulnas edu-
catum dices, qui piorum hominum collo-
quii maximopere oblectaretur, qui inter gra-
vissimas Imperii curas sacris Religionibus as-
sidue præsens adesse vellet, qui denique
perditum illum diem crederet, quo non ali-
quam temporis partem in sacratum rerum me-
ditatione, aliisque piis exercitationibus po-
quisset. Jam de innocentia ac morum inté-
gritate, quæ prima veræ erga Deum pietati-
s, ac præcipua pars est, nihil me attinet
dicere: Qui enim obscurum esse possit, quan-
tum ille ab omni non modo scelere, verum
etiam sceleris suspicione in omni vita abhor-
ruerit? Proh hominum fidem ac Superorum!
Numquam ne illum liberiore aliqua volupta-

tis illecebra captum esse? Numquam severiorum illam vitæ disciplinam, quam ab ipsa infantia suscepereat, intermisisse? Omnino numquam: Id quod si cui forte minus mirandum videatur, quod in privatis hominibus idem interdum accidere videamus, is profecto non intelligit, cujus virtutis negotiique sit in summa rerum potestate animi cupiditates cohibere, atque inter tot Fortunæ blandimenta non alias oblectationes sequi, quam quæ animi remissionem afferant cum omni honestate conjunctam.

At enim ab istis sordibus abstinere privati hominis propria laus est, non quæ in viro Principe aut magnopere expetenda sit, aut cæteris anteponenda videatur. Ita ne vero? Quod in ipsis etiam infimæ sortis hominibus portenti simile judicamus, in tanta fortuna, totque inter vitorum irritamenta parvi pendendum existimabimus? Nam, puto, eæ tantum erunt virtutes imperatoriæ, quas Christi sectatores cum superstitionis, ac barbaris gentibus communes habemus; atque is tandem egregius apud nos Imperator habendus erit, qui non aliis præditus sit ornamenti nisi iis, quæ in ipsis etiam Turcarum Tyrannos liberaliter interdum homines Superique concessere. Atqui non qualemcunque ego Imperatorem exornandum suscepi, sed Christianum, sed Christianæ Religionis Patronum ac vindicem, sed eum denique, cujus vera ac præcipua laus esse dehet, non tam homini-

bus, quam sibi ipsi imperare, non tam Populos ac Regna, quam tumultuantes animi cupiditates in officio continere, non denique leges ferre, sed a Deo latas sancte integre que servare. Hoc qui faciat, illum ego maximum apud nos Imperatorem, nec solum conditione fortunæ, sed etiam animi dotibus atque virtute, privatis quibuscunque hominibus anteferendum existimo.

Sed siquidem alterius cujusdam naturæ pietatem, atque ut ita dicam, Imperatoriam in CAROLO exposcit, videte utrum hujus generis sit, quod miseros, quod extorres, quod omne hominum genus in sinum receperit, ac suo ære amantissime sustentaverit, quod amicis ac foederatis fidem semper inviolate servaverit, quod nunquam nisi laccusitusarma ceperit, quod in ipsa victoria temperantissimus a cæde ac sanguine abstinuerit, quod Rempublicam quoad vixit sanctissime, atque integerrime administraverit. Videte an hujus generis sit, quod plura religiosorum hominum domicilia, aut collabentia restituerit, aut a fundamentis excitaverit, quod Tempa magnificentissime extruxerit, aut effusissimis largitionibus locupletaverit, quod inopes omnes atque egenos paterna quadam charitate complecti, præsentique ope ac subsidio levatos dimittere consueverit. Videte tandem, utrum Imperatoriæ saltem pietatis sit, quod gravissima bella, ac maxime periculosa cum infensissimis Christiani nominis

hostibus tam s^ep^e gesserit, quod nefarios
Barbarorum conatus toties represserit, quod
truculentos eorum gladios a nostris cervici-
bus excusserit ac propulsaverit, quod deni-
que unum se pro nostris aris, ac fociis Tur-
carum incursibus objecerit, ipsorumque cla-
dibus ac spoliis Religionis Imperium, ac di-
gnitatem amplificaverit. Quæ si omnia Chri-
stianus Orbis quam late patet universus,
nec sine ingenti lætitia fieri vidi, nec sine
grati animi sensu nunc facta esse recorda-
tur; quo tandem animo decet nos esse Au-
ditores, quos ille missis in hanc Urbem ho-
stium vexillis, in partem victoriæ accersere
consuevit: quasi vero triumphis ille suis
frui non posset, nisi præliorum fructum ac
gloriam omnem cum hac Gente Sacerdotali,
in primisque cum Summo Sacrorum Antisti-
te communicaret.

Hæc tamen meo judicio leviora. Illud enim
vero gravissimum, quod a pestilentissimis
Hæreticorum opinionibus semper abhorruit;
numquam vero eas effrænatius grassari ac
convalescere, vivo se, atque ad Imperii cla-
vum sedente permisit. Quam porro timendum
fuit, ne exitialis lues e cœnosi illis palu-
dibus suis exundans, latius in dies per Ger-
maniam magaret, totamque Septentrionis Oram
miserabili eluvione absorberet, nisi CAROLI
Imperatoris singulari virtute ac vigilantia,
quodam veluti aggere, repressa fuisset, ac
retardata! Quo loco præclare mihi accidere

intelligo, quod non ad imperitam ac rudem aliquam multitudinem verba faciam, sed ad lectissimos, eosque sapientissimos viros, qui Principum facta ac consilia omnia, non in certis vulgi rumoribus, nec externa duntaxat rerum superficie, quæ plerumque fallax & ambigua est, sed altiore quadam indagine, aliisque penitioribus inquisitionibus esse metienda non ignorant. Si enim alicubi in maximis rerum angustiis, ac difficultatibus serviendum tempori duxit, ac cum turbulentis Hæreticorum factionibus mitits agere, atque aliqua ex parte connivere visus est; non tam reprehendendus quod aliquid de sua illa firmitate remiserit, quam quod invitus coactusque remiserit excusandus; quod vero quam minimum potuit remiserit, magnopere est commendandus. Nam cum primum ex ^{Quo} illis quasi procellis ac tempestatibus emersit, ac pro Imperii Majestate loqui ac respondere potuit, novistis Auditores, qua ille fronte, quo supercilio importunissimas hominum postulationes exceperit, qua constantia rejecerit, eluserit, proculcaverit: Nondum enim, puto, vestris excidit mentibus, ut alia omittam, nec ulla umquam oblivione delebitur, quod proxime evolutis annis ad nos quotidie perferebatur, cum de quarto Risvicensis Pacis articulo in Catholicæ Religionis perniciem abolendo, tam multis apud eum molitionibus, ac tanta Hæreticorum omnium contentione ageretur. Sed non eo sumus loco, ut ex uno

& altero ancipi factō de CAROLI pietate jādiciūm ferendū sit, quæ adeo in omni ejus vita perspecta fuit atque explorata, ut quemadmodum magnitudine sua laudationem omnem excedit, ita cuiusquam defensione nōn indigeat.

Et jam monet me tempus ut ad singularem illam animi magnitudinem orationem convertam, quæquidem in CAROLO tanta fuit, ut nec major esse usquam, nec fingi posse videatur. Et quamquam ea est præstantissimæ hujus virtutis vis atque indeoles, ut in omnes magnorum hominum actiones, atque adeo in cogitationes ipsas se se conjicere soleat; unde etiam satis jam multa, quasi aliud agens dixisse videor, quibus etiamsi nihil adderem, summam tamen eam in CAROLO extitisse quivis conjectare possit: tamen ad rem proprius accedendum, pressiusque de ea sermonem esse instituendum existimo, ut quemadmodum Religione, ita & fortitudine maximum eum fuisse intelligatis. Sed unde nam exordiar, aut quid ego potissimum dicam in tanta rerum multitudine ac varietate, quæ me statim undique circumveniunt, quæque omnes ad se rapiunt quodammodo orationem meam; ut neque singulæ sine injuria præteriri, nec vero omnes sine nimia prolixitate commemorari possint! Quocunque incident oculi, quamcunque me in partem convertam, plena omnia intueor egregii hujus Imperatoris fortitudine atque constantia,

ubique tam præclaræ virtutis vestigium aliquod ac monumentum incurrit; ut etiam si tacere ipse velim, illa tamen omnia tam excelsi animi, atque invicti magnitudinem quo possunt modo deprædicent. Hoc dicunt multa bella ac maxima, quæ ille fortiter strenueque gessit, hoc pericula quæ adiit atque contempsit, hoc exercitus quos ab ipsa juventute in maximas gravissimasque expeditiones mira quadam dexteritate duxit, hoc illustres victoriæ, quas ex potentissimis hostibus reportavit. Si nondum satis est, ad sunt munitissimæ Arces quas expugnavit, Regna quæ armis recuperavit, conjurations quas extinxit. Adsumt Propugnacula immensis murorum substructionibus extructa, viæ commendantum commoditati per præruptos montes instratae, adornatae Classes, atque in Danubium veteri exemplo invectæ, florentissimi exercitus conducti, largisque stipendiis sustentati; eandemque rem nobis ingerunt, atque testantur. Ad hæc Turcarum gens ferocissima ad ejus pedes provoluta, potentissimi Reges amicitiam ejus ac fidem exposcentes, Nationes omnes CAROLI nomen ipsum refommidantes, per totam denique Europam atque Asiam Romani Imperii jura vindicata, asserta autoritas, dignitas restituta; quid si bi tandem volunt, nisi ut CAROLI QUINTI Avi incredibilem illam virtutem ac fortitudinem in SEXTO revixisse, non sine aliqua accessione intelligamus:

Verum notiora ista haec sunt, quam ut a me commemorari debent, majora autem, quas ut ornari possint: & tametsi sunt huiusmodi, ut in quolibet alio Imperatore summa ea essent judicanda, nonandum tamen mihi, ut vere dicam, CAROLUM exhibent, nec plaus meam de illo opinionem extequant. Aliud quidem est, Auditores, quod ego in mente habeo, novum illud ac post hominum memoriam ita auditum, quodque non in militiis castris, non inter armorum tumultus, non denique atibi usquam, quam in CAROLO ipso, atque in illo fortissimo pectori querendum sit. Etsi enim in Belli palvere eximiam quandam ac singularem virtutem praesertim habuit, pulchriorem illustrioremque victorianam retulit nonquam, quam cum de se ipse triumphavit. An vero ut de se triumpharet non aut satis multæ, aut satis graves ei occasiones oblatæ sunt, qui interdum usque adeo adversa Fortuna afflictarunt, ut prorsus rerum in eo cum dignitatis magnitudine atque excellentia certarent? Video mirari vos Auditores, quod ego adversarum rerum mentionem faciam in eo viro celebrando, cuius si vita spatum fere omne spectes, omnium qui ante ipsum fuerunt Imperatorum felicissimum facile judecaveris. Et vero quamdiu cum hominibus

negotium fuit, mirum quam prospere, quam ex voto otinia illi succederent, plane ut supra fortunam ipsam positus videretur. Quis enim per illud tempus Imperii Majestatem impune violavit? Quis non aut CAROLI comitatem misericordia amavit, aut potentiam extimuit? Quid ille umquam suscepit, quod non etiam summa felicitate perfecerit? Ut jam ejus nomen ac dignitas, non modo intra Germaniae fines, sed apud exteris quoque ac remotiores nationes, atque adeo in Orbe Terratum universo venerationi esset, nihilque uspiam in disceptationem veniret, quod non ex ejus auctoritate & arbitrio componeretur. At enim, ut nemo est in hac vita ex omni parte beatissimus, divino consilio factum est, ut cum nihil jam sibi ab hominum aggressionibus metuere posse videatur, multo gravioribus curis ex ipsa humanæ sortis conditione angeretur, quique cum ferocissimis gentibus toties felici exitu dimicaverat, in eos tandem Adversarios offendiceret, qui naturam ac conditionem habent, ut vinci armis expugnarique non possent. Quod quidem ego haud alia mente a Deo constitutum crediderim, nisi ut qui majores nos omnes animi magnitudine jam antea superasset, ad extremum se etiam ipso major inveniretur, eumque attingeret fortitudinis gradum, ultra quem nihil sit, quo progredi quisquam posse videatur.

Nam cum bene omnia feliciterque cedunt moderate se gerere , etsi difficillimum , atque adeo paucorum est , habet tamen virtus aliquod ex ipsa felicitate solatium , atque incitamentum : utque ea res quamdam magnificentiae speciem exhibit , quæ omnium in se oculos admirationemque convertit , facile sibi quisque ea laude placet , quam publicis hominum judiciis in pretio esse inteligit ; ut ii etiam interdum eam maxime affectent , qui minime omnium ea prædicti inventiuntur . At summum Imperatorem in altissimo illo Terrarum Orbis fastigio collocatum , atque in illa fortuna , quæ plerumque impotens esse solet , fortiter pati , atque ea constanter ferre , quæ miserationem infimis etiam hominibus faciant , nec tamen calamitatibus frangi umquam aut debilitari , imo vero in maxima fortunæ iniquitate erectum semper atque alacrem fortunæ vultum obvertere : hoc enim vero divinæ cujusdam virtutis est , quo quantum Principes omnes supra privatam hominum conditionem assurgunt ; tantum CAROLUS dignitatem illam suam , quæ certe maxima est , animi magnitudine superavit . Prædicent itaque alii , per me licet , ac magnopere demirentur præclaram illam moderationem , qua aut irrogatas sibi injurias cum ulcisci posset , facilime condonabat , aut profligatos hostes , ac pacem jam implorantes , in suam amicitiam æquissimis conditionibus recipiebat , aut in ipso æstu .

victoriæ plurimum de suo jure remittere, ac mitissime cum vicit agere consuevit, aut alia demum hujus generis multa, quæ tametsi excelsi cujusdam animi argumenta esse video, silentio nihilominus prætermittam; non tam quod infinitus propemodum essem, si ea omnia quæ ipsi usitatissima ac fere quotidiana fuerunt, persequi dicendo vellem quam potissimum quod in summa felicitate cum fierent, non majorem mihi virtutem ostendunt, quam quæ in mortalium animos cadere soleat.

At ecce tibi, cum virilem Prolem, exoratis aliquando Superis, suscepisset, eoque tam felici eventu, non Aula modo lætabunda gestiret, sed Europa propemodum universa publicis gratulationibus personaret, Augusta vero familia incredibili quodam voluptatis sensu perfusa totam se ad lætitiam atque hilaritatem composuisset; vix natus Infans, quem jam unum tot gentium ac populorum vota respicerent, quoque Augustus Pater se mirabiliter recrearet ac solaretur, in ipsis fere incunabulis moritur, ut plane non tam datus terris, qnam ostensus videatur. Oh diem illum, Auditores, inter nefastissimos connumerandum, quo tanta omnium spes nno istu excisa fuit atque convulsa! Cujus est tam ferreum pectus, quod in illo tanto luctu ac mœrore non concidisset? Quo vero animo fuisse existimatis amantissimum Patrem in tam acerbo casu atque

miserere, cui nulla umquam temporis longitudo, quæ tamen malis omnibus levamentum afferre solet, nec res umquam alia esset mendaciam allatura? Tamen cum esset omnium maxime ea morte perculsus, ac parem infortunio acerbitatem in sinu contineret, quis illum aut plorantem vidit, aut acerbius de ea re expostulantem audivit? Imo vero Divinæ se voluntati submittere, humanaarum rerum fragilitatem in eo eventu cōtemplari, eos tandem solari ipse, qui cum mœstissimi essent, solatium tamen allaturi accederent. Atque hic ego primum, Auditores, CAREOLUM videre, & plusquam humanæ virtutis aliquid internoscere mihi videor. Nisi enim altioris cuiusdam ordinis ea virtus fuisset, quam erat non modo pronum, verum etiam expectandum, ut aliquam querimoniæ vocem ab eo dolor exprimeret vel invito, qui pressertim ea plaga affectus esset, quæ nulla deinde tempore coitura videretur! Qua deinde constantia orbitatem hanc suam quoad vixit toleraverit, scitis. Num liberius quidquam, aut minus considerate dixisse aliquando? Num minus ea causa Augustæ Conjugi, quam carissimam semper habuit, addictum fuisse? Neque vero hærentem lateri sagittam excutare, aut alio saltem cogitationem avertere, aut sibi denique ullo modo verba dare, quod solatii genus est, poterat. Quo onim oculos aut montem desigeret, quo non statim admonescatur, multo ac beatiorem futurum, nisi illa-

Filius interiisset? Quoties illi vel abjectissimi hominum invidiam fecere, cum liberos illi suos commendarent! Quoties, si quem videret egregia forma atque indole adolescentem, recursabat illico extincti species, ac nondum obliteratus animo dolor ex integro renovabatur! Quoties maluit natum non esse aliquando, quam præpere adeo sibi reique publicæ erexitur esse! Ut mihi quidem maxime mirum videretur, si reliquo quo vivit tempore vel unum diem sine dolore ac lacrymis transegisset.

Sed tandem in inclytum Lotharingiæ Ducem FRANCISCUM cum oculos conjectisset, nos nihil ex illo tanto meiore respirare visus est. Cum enim in eo Principe exhortande, præter Regiam stirpem, omnes Naturæ industriæque dotes confluissent videret, cum quasi filii loco habet, eicus tandem Filiam natu maximam, quam Regnorum omnium hæredem instituisse, nuptui tradit; et certe consilio, ut ex isto tam felici connubio Nepotes videret masculos in quibus Austriae novos, ac dignitas quodammodo revivacearet. Et vero thalamus fecundus est: MARIA THERESA parvo post tempore uterum gerit: partus miso omnium desiderio, maxima autem Patris sollicitudine, expeditatur. Quid deinde factum sit, nemo veatrum ignorat. Parit illa iterum, ac tertio, marem vero nuptiarum. CAROLUS quod unice jam habet in votis, obtinere non potest. Oh mi-

seram, ac vere lacrymabilem amplissimi Imperatoris conditionem! Ne id quidem impetrare potuisse, ut ex Filia Nepotem unum aspiceret? Usque adeo ne Superis invitus fuisse putandus est optimus Princeps, ut quod plerisque mortalium concessum est, ipsi prohiberetur? At quo me incogitantem abripit justissimæ mirerationis vis, atque imperius! Invisum Superis CAROLUM! Imo vero acceptissimum dicere debui, eoque certe catiorem, quo fortiorum in dies gerebat animum, contraque adversa omnia quotidie magis obdurescere videbatur. Sed omnino id ab ipso exposcebatur, Auditores, ut supremam attingeret virtutis, constantiæque lineam: Unde ipsis etiam bellorum eventibus eum tentari ad extremum oportuit, eaque, uti nostis, contigere, quæ nisi superna aliqua lege jam ante decreta, ac constituta fuissent, nemmo unus umquam eventura humanis rationibus existimasset.

Quid jam ergo est reliquum, nisi ut diem obeat suum, atque ex his mortalis vite angustiis, quæ jam tantam virtutem non capiunt, in calestem Beatorum Sedem illa ingens anima transferatur? Quid enim internos commoretur, aut quid omnino hic faciat is, qui numerum jam omnem explevit, sibi que ipsi ad ulteriores progressus viam quedammodo interclusit? Sic equidem visum est Superis, Auditores: Unde & factum est, ut cum adhuc ea esset ætate, cui multorum

an-

annorum accessio debebatur, cum maxime digerendis componendisque Europæ rebus operam daret, cum nihil tale quisquam suspicaretur, tristissimus repente nuntius ad nos advenerit, quo prius illum vita privatum, quam morbo correptum intelleximus. Quanta ex eo rumore commotio suborta sit, quæ fuerit omnium ætatum atque Ordinum perturbatio, ut statim universæ hujus Urbis aspectus immutatus sit, meministis Auditores; Nec vero est cur recentissimum vulnus, atque adhuc hians memorando refricemus. Quis sibi a lacrymis eo die temperavit? Quis non exinde laboriosissimam ac plenam ægritudinis vitam exegit? Sed omnino satis jam diu CAROLUS sibi ac virtuti vixerat, atque ille modo actus restabat ultimus, quo egregiis suis laudibus supremam quasi manum imponeret. Itaque si Religio, si Animi magnitudo, hæreditariæ illæ Austriacorum dotes, ejus vitæ cursum omnem alterna quasi concertatione distinxerant, morienti simul comites adfuere, atque invicem manus, ut ita dicam, conjungere visæ sunt, ut cuius antea vitam quasi per suas vices singulæ illustrassent, exitum simul ambæ nobilitarent. Et vero nihil hac coniunctione opportunius in eo discrimine maxime omnium formidoloso & anciipi, in quo ea demum fortitudo ingentem animum ac securitatem quamdam afferre potest, quæ ex pietate ac recte factorum conscientia profisciscatur; omnis autem virtus

TOM. III.

C

quæ aliunde sit, langueat ac contabescat necesse est: ut ii etiam qui audacissimi in omni vita fuerunt, nisi iidem pii probique fuerint, tunc demum animis concidant, ac totis artibus contremiscant.

Age vero: quam pie, quam fortiter oblatam sibi mortem exceperit, videamus. Ecquid expalluit, cum primum deploratam jam esse valetudinem suam accepit? ecquid suspirium duxit, nisi forte ex amore, cum Christi Servatoris effigiem intueretur? ecquid paululum commoveri visus est? Oh hominem humana conditione majorem! Lugebant domestici ac familiares omnes effusissimis lacrymis, quasi de ultimo ipsorum excidio ageretur; Cives ex omni ordine omnes miserandum in modum afflatabantur; mœrebant Juvenes; canitiem suam deplorabant senes, seque in illud tam ferale tempus reservatos dolebant; omnia mœstissimo ejulatu circumsonabant: In Foris, in Templis, in publicis viis mœstitia ac trepidatio; Civitas denique universa fletum inter & singulatus huc illuc ferri, ac fluctuare videbatur. Unus in tanta omnium perturbatione CAROLUS, qui sciret hac se lege natum ut aliquando moreretur, sui securus, nec nisi de alieno dolore sollicitus, non modo alaci animo, atque invicto vitæ exitum præstolabatur, sed jam Conjugem amantissimam, jam optatissimas Filias, jam viduam Fratris Uxorem, jam Generum, jam carissimos quosque cir-

cumfusos, quibus extremus dolor loquendi facultatem ademerat, hilari obtutu, ac suavissimis vocibus recreabat. Quid enim, ajebat, vicem meam doleatis, cui unus idemque futurus sit vite ac laborum finis? Numquam ego me immortalem credidi, nec vero vos credere debuistis. Cur diutius vivam mortalitrus aliquando; aut quid tandem habet haec vita, quod mihi magnopere expetendum sit? Si me amatis (amatis autem plurimum) quae causa est cur mihi æruinnarum tempus prorogatum velitis? eo potius respicite, quo mihi brevi comimigrandum est: Cœlum est quod proponitur, ac vita numquam interitura: Et quamquam sentio quād sim indignus, qui Cœlestium ordinibus adjungar, tamen adjungendum spero; Atque ille mihi facit hanc spem, qui Dei Filius cum esset, acerbissimam pro me mortem obiit, ac suum pro me Sanguinem Patri obtulit: Illum vos, si me auditis, carissimum habebitis semper, ac rebus omnibus anteponetis; Unus quippe est, mihi credite, qui morienti solatium afferat, cætera fidem fallunt. Atque haec ille cum diceret, aliaque multa de humanarum rerum levitate, de æternarum pretio, de mira Dei erga homines benignitate dissereret, approxinquantem mortem secure adeo confidenterque oppetebat, ut non tam homo jam jam Cœlo inserendus, quam e Cœlo ipso delapsus videretur,

Plura dicere haberem, Auditores, nisi ve-

C 2

hementissimus dolor vocem loquenti intercipet: Sed quid opus est pluribus? Talem habuit vita exitum, qualis ab eo expectandus erat, qui cum admirabili quadam fortitudine esset, rationes vitae suae omnes ad Christianæ pietatis normam exegerat, quique hoc sibi primum proposuerat, ut post quaecunque hujus vitae spatium, nobilissimam sui partem, Animam videlicet immortalem in tuto collocaret. Hanc vero mortem vostam spectabilem, tam illustrem, tam ex omni parte invidendam, luctu gemitibusque prosequendam existimabis? Videte ne, ut ipsi pulchrum gloriosumque fuit talem vitæ suæ finem imponere, ita vobis indecorum ac turpe sit in tanto ejus bono ac tam excellenti tristari. Videte ne, dum pie & amanter facere existimatis, minus erga ipsum benevoli, aut etiam injuriosi reperiamini. Quod si nostra tantum causa lugendum statuitis, quod maximum in eo damnum fecisse videamur; hoc ita demum per me licet, si dolor modum habeat, atque extra præscriptum non excurrat: Cum præsertim multo magis de illius felicitate lætari, quam de nostro qualicunque damno dolere debeamus. Sanctissimam vero Numinis Providentiam cavete, oravos, ullius erga nos malevolentia insimulandam putetis. Nam ut omittam, nihil in hoc tam infausto eventu factum esse, quod ab ipsius instituto alienum videri debeat; Quid si & gravissimis incommodis, quæ ex CAROLI

morte consecutra erant, in tempore atque opportune consuluit? Quid si rebus nostris ita prospexit, ut nullum ex ea periculum impendere videatur? An vero non intelligitis, qualem in Urbe Vienna Reginam, qualem in Urbe Roma Ponzifecem collocaverit? Quid, etiamsi tempus caliginosum sit, ac Nymbus ingruere videatur, quid non inquam, istis Rempublicam administrantibus sperandum est? Quantum potro suis Illa juribus tuendis, ac publicæ tranquillitati conservandæ allaboret, quales Copias instruat, quales Viros in Consilium adhibeat, quantum ubique gratia & auctoritate valeat, non ignoratis: Qua Hic vigilantia ex haec altissima Terrarum Orbis Specula periculis omnibus amovēndis immineat; qua cura Principum voluntatibus conjungendis animum adjecerit, qua demum solertia id pro sua parte conetur, ut optimus Imperator in CAROLI locum substituatur, videtis; Cum & litteras hac super re gravissimas, plenasque cum officii, tum dignitatis ad Catholicos Imperii Principes dedērit, & nobilissimum Virum, eumque Præsulem ornatissimum GEORGIUM AB AURIA ad Electorum conventum ea causa miserit, & publicas, quod caput est, ad hunc finem supplicationes imdixerit. Cætera quæ deinde eventura sunt, facili quisque Vestrum conjectura assequi potest; Nec vero quidquam, nisi lætum ac faustum omnari fas est. Illud modo unum optandum

38 IN FUNERE CAROLI VI.

maxime, ut bene utrique quam diutissime sit: Hoc nostra interest Auditores, hoc assiduis a Deo precibus impetrandum. Nam quamdiu Viennæ MARIA TERESIA sit, ac BENEDICTUS Romæ, omnia salva sunt, ac certe miseri omnino esse non possumus.

G R E G O R I I X I I I .

P. O. M.

P A N E G Y R I C U S

Habita Romæ.

Quo consilio in hujus ego amplitudinem loci hodierna luce prodierim, quæque sit dicendi materies solemni huic orationi proposita, cum vestrum esse puto neminem, qui ignoret, tum illud mihi, ut vere dicam, grave accidit, quod iis præsentibus verba facere debeam, qui nihil audire ex me hodie possint, quod antea non percepérunt, nihil, quo non majus aliquid præstantiusque, certa animi expectatione occupaverint. Id cum ipsa argumenti claritas & magnitudo facit; tum vero anniversaria ex hoc loco dicendi consuetudo, atque adeo locus ipse in quo sumus. Argumentum sane est hujusmodi, quod, qui ignoret, stupidissimum eum esse necesse sit. Quis enim uspiam est mortalium tam rufis, cui, vel auditio **GREGORII TERTII DECIMI** nomine, non illico Pontifex perfectissimus, lumenque ejus ordinis atque ornamentum eximum obversetur? Reputate jam, atque ad vos ipsos referte, Auditores, quid mihi animi esse debeat, cum vos consi-

C 4

dero, eosdemque esse sentio, qui in hæ concione interesse quotannis soletis, cum eorum qui ante me dixerunt eloquentiam recolo, nihilque ab iis prætermisso, nihil non oratoria dignitate tractatum intelligo, ut quo jactare se possit oratio mea, omnino non videam. Ferrem tamen id quoque moderatius, nisi ipsa tandem hujus loci opportunitas fato quodam contra me faceret, & ad omnem orationi lucem, si qua ea foret, adimendam, lucem ipsa suam multo splendiorem interponeret. Proh Superum atque hominum fidem! In hoc Athenæo GREGORII XIII. laudationem instituere me! Nam, puto, modica est hic hominis existimatio, quam numeratis ejus laudibus, atque etiam artificio aliquo amplificatis, si Deo placet, augebo. Qui vero istud, ubi parietes ipsi Gregorianæ Majestatis vestigia non retinent modo, sed exprimunt, & quidem sic, ut si nulla usquam esset Principis optimi recordatio, si nullam aut fictam, aut pictam ejus imaginem haberemus, si denique hæ litteræ, quæ ab ipso habent quod vivunt, quod in honore sunt, Parentis pœne sui oblitæ viderentur; in hac tamen una excelsa mole atque præclara, species ejus integra, nulla unquam vetustate delenda, nullis sæculorum incursibus labefactanda, veluti in exemplo conservaretur. Atque id quidem ita ex vero sensu a me dicitur, Auditores, ut quamvis incommodum non dissimulem, illud tamen ipsum

in rem meam convertere, & , qaod mirum vobis fortasse sit, ex eodem hoc loco dicendi argumentum ac segetem mutuare necesse habeam. Agite porro, Auditores humanissimi; quibusque vocibus conditorem suum, nobis etiam tacentibus, prædicet hoc Gymnasium, in ipsa ejus fronte, in aditu ipso recognoscite. Quid? Casu ne aliquo putatis illud extantibus literis inscriptum esse: RELIGIONI AC BONIS ARTIBUS? plena consilij verba sunt: quæ cum intellexisse se crederet summi ingenii Vir, idemque Orator in primis nobilis Antonius Muretus, postquam multum in iis defixus admirabundo similis constitisset, negavit posse quidquam ad hujus Athenæ dignitatem aut gravius dici, aut luculentius. Næ tamen ille quoque multum ablusit a vero, qui Collegii studia designari iis verbis, non Conditoris animum, existimat: quasi vero sine causa Gregorianus ille Draco, Epigraphe veluti præsidarius immineat, aut ad quem ea verba pertineant, non satis apertis indicis testificetur. Quorsum igitur mea spe&ctet oratio, videtis Auditores; mihiique facile persuadeo fore ut genus hoc laudationis tale vobis videatur, quale nos maxime deceat de eo Viro dicentes, cui, cum tantum debeamus quantum fortasse nemini, hoc tamen nomine devincti maxime sumus, quod suas de conservanda Religione bonisque artibus propagandis, curas cogitationesque nobiscum pœne omnes diviserit, tamque eximiæ procura-

tionis socios sibi nos esse voluerit, atque administros. Itaque quod huic Collegio, præclaro nimurum ejus erga nos benevolentiae Mopumento inscriptum ipse voluit, id orationi meæ, pietatis erga illum nostræ gratique animi argumento, præfixum esto: RELIGIONI AC BONIS ARTIBUS. Intelligetis, nisi si omnia me fallunt, Auditores, non vulgari virtute eum extitisse Pontificem, qui consilia Pontificatus sui eo direxerit omnia, ut bonarum artium studia aleret, ut creditæ sibi Religionis dignitatem amplificaret: quod qui faciat, eum ego unum quod summi Sacerdotis est facere, quodque Regis sapientissimi iudico; dignumque propterea ajoisse, qui non suscipiatur modo, ac commendetur ab omnibus, sed veluti Pontificis perfectissimi exemplum proponatur. Peto a vobis, Auditores, ut quo soletis favore verba mea audiatis, meque rerum dicendarum magnitudine non minus quam tenuitatis meæ conscientia pœne deterritum, humanitatis vestræ præsidio erigi ac recreari patiamini.

OPERÆ PRETIUM esset statim hic, Auditores, luctuosam illorum temporum calamitatem vobis in memoriam revocare, cum Hugo Boncompagnus auspiciis optimis Pontifex renunciatus, ad Christianæ Reipublicæ clavum sedere incœpit; nec parum fortasse, quæ est rerum adversantium natura, felicissimum illius Pontificatum ea malorum memoratio commendaret. Verum de tali Viro

dicens, in quo ornando numquam deesse potest oratio, possum isthac quantumvis opportuna negligere; eoque facio libentius, quod prolixior multo ea narratio foret, quam ut brevi verborum circuitu comprehendendi posset, & funestissimam illam recordationem repeteret sine dolore aliquo non possemus. Abunde mihi est ad rem meam, si in tempus multo turbulentissimum, & illud Catholicæ rei maxime perniciosum, GREGORII electionem incidisse cognoscatis. Etenim, cum, non humano consilio, aut fortuna aliqua, sed coelesti Numinis afflatu Pontifices, ac omnino divinitus fiant; vel inde conjectare integrum vobis erit, qualis ille esset, qui eo tempore datum est Ecclesiæ moderator, cum in maximis seditionum turbinibus regenda erat, contra que sævientes omnium generum tempestates in summa pœne rerum omnium desperatione, ad tranquillitatem incolumis perducenda. Et illi quidem in ipso Pontificatus ingressu, non gemina se aperuit via, quemadmodum Herculi illi Xenophontæ, altera otii & voluptatis, virtutis altera & laboris: quasi vero utram se daret in partem, in deliberationem vocare videretur. Non pependit animo, non fluctuavit Beatissimus Pontifex; sed, quid a se deberetur Reipublicæ, quid omnium vota, quid Dignitas ipsa postularet ex vero judicantis, nihil ex tanto fortunæ beneficio ad se voluit pertinere, nisi ut reliquum suæ vitæ tempus Religionis utilitatibus impenderet, ejus-

dem jura multis modis vio'ata tueretur; dō-
tem ac patrimonium custodiret, libertatem
assereret, dignitatem amplificaret. Videres
itaque vix in altissimo illo fastigio collocatum
oculos circumducere, omnia attento ac solli-
cito obtutu perlustrare: crederes, lætari eo
aspectu debuisse, qno quantum imperium
adeptus esset videbat, sibique potestatem im-
mensam, iisdem quibus orbis Terrarum regio-
nibus definitam contigisse sentiebat. Itane
vero? Lætaretur nimirtum eo aspectu GREGO-
RIUS, cum quocumque incidenter oculi, ni-
hil non acerbissimum oceurrebat. Invitus fa-
cio, Auditores, quod ad illam temporum
atrocitatem, quam dissimulanter præterire
constitueram, redire patior orationem meam.
Tamen quo animo putatis illum fuisse, cum
nobilissimas Europæ regiones, aut hæretico-
rum fraudibus implicatas, aut Principum dis-
sidiis distractas, ac pœne convulsas contue-
batur? Cum florentissimas Germaniæ Urbes
pestilentissimis opinionibus afflatas certum in
interitum dari præcipites prospiciebat? Cum
Galliam universam, subortis Religionis causa
civilibus dissensionibus, studiisque partium in
dies magis effervescentibus, funestissimo in-
cendio conflagrantem videbat? Cum diruta tem-
pla, pollutas res sacras, imagines Beatorum
fœdum in modum conculcatas, Sacerdotes ad
patibulum raptos, spretam Pontificiæ Sedis
Auctoritatem, divina humanaque omnia pes-
sundata; aliaque plena flagitiū; plena atro-

citatis spectacula, in unica Anglia, unius impurissimæ sceminae dominatu ac furore coa-cervata, sibi cogitatione repræsentabat? Ne-que vero miseros Populorum clamores poterat non audire. Omnia manus ad se por-rectas, omnium oculos in se conversos vide-bat: Unum esse se, a quo tot, tantisque ærumnis remedium adhiberi oporteret. Quid cum ad hæc Religio ipsa miserabilis specie, squallore cooperta, scisis hinc inde vestibus occursaret, vulneraque, quibus erat misere deformata, quodammodo denudaret? Qui tan-dem ejus sensus esse poterat? Qui Ecclesiam antea mirifice coluisse ut Matrem, jam vero ut Sponsam sibi sacro connubio devinctam unice diligeret, non illo aspectu vehementi-sime commoveretur? Video tamen vos esse sollicitos, Auditores, quam in partem se ver-teret optimus Pontifex, quo afflictis rebus opem aliquam, ac solatium afferret, summa-que rem a tam turbido statu ad quietum & compositum revocaret. Nam sterilem illum commiserationis sensum ut facile ab unoquo-que obtinemus, carere etiam illo facililime possumus; quique nihil præterea afferat in alienis malis, non pluris facimus alio quovis homine; Eum vero Dei propemodum loco numeramus, qui non indoleat modo, verum etiam opituletur. Et morbus ille quidem non erat is, qui communia aliqua medicina de-pelli posse videretur. Erat etiam experientia compertum, nihil mitibus remedii agi, aspe-

ris potius male agi; eratque periculum, ne ipsa tractatione vulnera recrudescerent, omniaque in exitium, extremamque perniciem prolaberentur. Tamen non sibi defuit GREGORIUS, quodque ne cogitare quidem ausi essemus, tantos ac tam varios motus aliquando composuit, jactatamque infinitis quasi ventis Religionem, non eripuit modo periculis, sed ad tranquillitatem optatissimam felici fausto que progressu perduxit. Ut illud omnino constiterit, nullam esse tantam difficultatum modum, quæ prudentia superari, consilioque non possit. Adhuc expectatis, Auditores, quid illud fuerit; neque enim ulla apparet adeo exquisita, qua tanta res tam feliciter confici posse videretur. Sed jam non tenebo vos diutius, resque quemadmodum gesta sit, paulo diffusius aperiam.

Noverat Sapientissimus Pontifex perditissimos illos homines, qui rerum novarum studio turbas ubique concitabant, spem suam omnem in Principibus habere constitutam, quorum Patrocinio cohonestari sua consilia, sibique arma nefaria ministrari cupiebant: Ea spe si dejicerentur, deletum iri universos; brevique fore, ut sublatis omnibus discordiarum seminibus, suscepta impie contra Religionem arma, aut ponerentur penitus, aut, quod erat optandum magis, contra illius hostes pie feliciterque converterentur. Ocurrerbat illud etiam, Principes cogere, periculose esse, beneficiis allicere facillimum:

cum maxima potentia quandam animi magnitudinem solere esse conjunctam, quia, ut segre admodum quidquam a te per vim extorqueri feras, ita si humanitate ac benevolentia certandum sit, nihil non ultiro concedas. Age vero: Quid si capiantur? Quid si intelligent Priuipes aliquando, numquam quietum Imperii corpus esse posse, dum anima imperii Religio luctatur? Quid si eosdem illos adduci contingat, ut Catholici nominis inimicis inimicitias denuntient, & seditiosa capita cubilibus omnibus persequantur? Rem factam se habere non dubitavit. Certum itaque illi deliberatumque vel exinde fuit, Principum benevolentiam quibuscumque rebus posset (quibus autem non poterat?) auctorari. Venit hic mihi in mentem, Auditores, illius sapienter dicti, non ultimam esse laudem Viris Principibus placuisse. Quota tamen laus isthac esset GREGORII, nisi etiam ut carus iis esset ex merito impetrasset? Quid autem non impetraret is, qui nulli non humanissime benefecit, qui omnibus amorem suum re factisque, quoad potuit, comprobavit? Utinam liceret nobis interrogare singulos qui illud temporis extitere, neque enim dissimularet Stephanus Battoreus Poloniæ Rex, procellosissimo se Regno & adhuc dubio utentem, GREGORII autoritate liberatum periculis, ac metu omni fuisse, sibique esse Regi per illum maxime licuisse: Nec Sebastianus Lusitaniae, ingentis pecuniae subsidia sibi ab

eodem ad Barbaros Africa depellendos ex Ecclesiæ censu suppeditata inficiaretur . Quid Gallus ? Quid Hispanus ? Annon ille quatuor peditum millia sibi Pontificio ære conducta , quo perduellium pervicaciam pestem toti Regno molientium comprimeret , ultro profitetur ? Hic , præter immensam pecuniæ vim sibi in belli usus ab eodem liberaliter erogatam , egregiam operam in Belgicis tumultibus componendis adhibitam , in Lusitanæ Regno adipiscendo gratiam & favorem præstitum commemoraret ? Vos tamen velim Testes mihi adesse in primis Germaniæ Principes Universi ; eos enim , ut pari omnes Charitate , quemadmodum communem Parentem decet , complecteretur , Vos , seu quod essetis periculo propiores , seu quod magis idoneos putaret ad Hæreticorum impetus coercendos , singulari studio fovere visus est : Vobis ille sinus plenius se aperuit , in vos quantum potuit beneficentia & donorum large effuseque congesit . Sinite tamen me , Auditores , leviora illa prætermittere : Quid enim commorem plenas officii & humanitatis literas , quibus jam hunc , jam illum peramanter salutabat ? Quid missa per Franciscum Toletum munera ad Mariam Rodulphi Gæsaris Matrem ? Quid Andream Archiducis Ferdinandi filium , etsi æstate minus promptum Romana Purpura donatum ? Quid Hernestum Bavariæ Principem , quid Fridericum Hernesti consobrinum , quid Joannem Austriacum , Joannamque item

Au-

Austriacam magnificentissime exceptos , illos
Romæ , hos Laureti , sumptuque Regio habi-
tos? Quid denique vobis narrem quam laute
Carolum Eliviensem optimæ Spei Adolescen-
tem in Pontificiis Ædibus habuerit , quam
assidue ægredo adstiterit , qua doloris Signi-
ficatione demortuo parentaverit . Missa hæc
facio omnia , aliaque innumera , quæ si vel-
lēm sigillatim persequi , amens omnino sim :
Unum est , quod generatim universeque di-
co , nullum ea tempestate fuisse in Germa-
nia Principem , non Antistitem ullum , non
Septemvirum , non denique ullum majorum
Gentium hominem , qui non propitiam erga
se optimi Pontificis voluntatem experiretur .
At fuit extra Germaniam fortasse aliquis .
Quis ille ? Num Moscus ? At illum Sarmatis ,
a quibus plurimum sibi metueret , concilia-
vit . Num Svecus ? At quibus officiorum mo-
mentis ejus ad se voluntatem non allexit !
Annon Suapte sponte rogavit Hispanum , ne
Sveciæ Reginam Bariensis ditionis proventu
fraudari pateretur ? Fortassis tamen ad eum
carcerem , in quo Spectatissima illa Scotiæ
Regina Elisabethæ fraudibus detinebatur , GRÉ-
GORII beneficentia non pervasit ; Credo ; At
quo pertinuit illa incredibilis sollicitudo , qua
dies noctesque angebatur , quo acerbissimæ
illæ ad Principes omnes querelæ , nisi ut ,
aut eriperetur ipsa , aut si minus fieri id
posset , Filius ejus Jacobus puerilem ætatem
nondum egressus , Catholicis moribus infor-

maretur? Quod si tam longe lateque GREGORII beneficentia diffudit se se, & ipsæ etiam Insulæ reliquo orbe divisæ tam eximiaz charitatis ardoribus incaluerunt; Quid de Italæ Principibz tanto propioribus dicendum sit, videtis: Nihil tamen est cur ista ex me quæratis, Auditores, cum illi ipsi turmatim veluti circumfusi vocem acceptorum beneficiorum testem extollere videantur, grataque commemorationis officium præripentes, omnem mihi dicendi aditum intercludant. Adest Cosmus ille Medicus, eai Magni Ducis titulum adversus iram Maximiliani Cæsariss asseruit: Adest Alphonsus Ferrarentis, quem controversiæ sedatis Sedi Apostolice conciliavit: Adest Gulielmus Gonzaga; quem metu Armorum, quæ inferebat Sabaudus, sequester pacis concordiæque liberavit: Adest Sabaudus ipse, cui & ordinem Sancti Mauriti confirmavit; & Regales nuptias cum Catharina Hispani Regis Filia maturavit: Adsunt Genuenses, quorum intestinas discordias in commune malum invalescentes extinxit: Adsunt ad extremum Veneti, quibus non modo Rosam Poutificiam munus Regibus gratissimum, benevolentiaz testimonio misit, sed ad utilissimas cum aliis Regibus fœderationes aditum patefecit.

Sed jam nemini video dubium esse posse, quin GREGORIUS XIII. Principum sibi omnium animos, non verbis modo, quæ parum sane possunt, apud Potentiores presertim, sed

muneribus , sed benefactis , sed effusissimis largitionibus , quibus nullum certius benevolentiae experimentum , studuerit demererit . Illud sequitur , ut quem tandem ex ea re fructum Religio ceperit , videamus . Primum omnium illud dici merito potest , multo melius GREGORIO , quam optimo illi Imperatori convenisse , ut humani generis deliciæ esset , & publice appellaretur : & a quo nimis vere se & ex animo diligi non ambigerent , ei amore mutuo Principes respondebant ; Atque ex his , ut solent Principum affectiones cæteris mortalibus exemplo esse , illa erga GREGORIUM benevolentia ad privatos quosque facilis propagatione transfusa , Terras pœnè omnes brevi tempore occupavit . Quid vero postea ? Neque enim eo contentus esse poterat ille Pontifex , qui nihil sua causa susciperet , omnia Reipublicæ commodo utilitateque metiretur . Quid postea factum sit quæritis ? Prorsus quod debuit : Illud autem fieri omnino debuit , ut qui omnia Principibus concessit quæ potuit , omnia ab iisdem quæ voluit impetraret . Quid itaque est tur miremur , tam multa , tam gravia , tam difficilia , & strenue suscepta , & præter omnium opinionem confecta feliciter ab eo esse , cuius singulæ voces habebantur pro Orationis Divinitus datis , cuius votis obsecundandis commune omnium certamen erat , cuius legati ut Cœlo demissi Homines accipiebantur , qui denique apud Orbis Terrarum Mo-

deratores tantum gratia & auctoritate poterat, ut omnium quasi voluntates arbitrio suo torquere, ac moderari videretur. Non est hic mei consilii, Auditores, orationi ve la laxare, resque omnes bene feliciterque illo Auctore gestas in medium proferre: vereor siquidem, ne cum diceudi initium facilime fecero, exitum deinde nullum reperire possim. Verum, ut ex infinita rerum ubertate paucas admodum, easque eursum leviterque attingamus: Quod subortae duos inter Potentissimos Reges Gallum & Hispanum offensionum causae, antequam in exitialie aliquod incendium erumperent, opportune extinctae sublatæque sint: Quod Joannes Austriacus, tot ille Palmarum Imperator, ab obsidenda Genua Civilibus factionibus occupata abstinuerit: Quod Maximianus Cæsar amicitias cum Hæreticis contractas dissolverit: Quod hujus Filius Rodolphus Lutherianas pestes urbe Vienna, in quam se se receperant, ejecerit, Ducibusque ejus factionis in Augustanis comitiis constanter obstiterit: Quod Carolus Nonus ostenta illa improbitatis Hugonotas tota Gallia, quam fæde vastabant, memorabili cæde exterminaverit; Annon Gregorii consilio & Auctoritate perfectum id omne est? Obruor. Auditores, multitudine rerum, ac varietate; Utque solent viarum spatia longiora multo videri, cum passibus ipsa nostris metimur, quam cum obtutu simplici æstimamus; ita mihi

hanc rerum immensitatem ingresso tam multa alia ex aliis occurunt, ut quo plura dicō, plura superesse dicenda videantur. Agite vero: Quid tam difficile quam invictissimum Ducem ira ac furore inflammatum in maxima spe vietorae continere, & ad pacis consilia revocare? Revocavit GREGORIUS Basiliū Moscorum Ducem, cum maxime in Germaniam impetum facere minitabatur. Quid tam inusitatum, quam Potentissimum Regem ab Orthodoxa Religione alienum, ab hæreticorum fœdere ac societate divellere? Divulsit GREGORIUS ab Elisabetha Regina Joannem Tertium Sveciæ Regem, atque etiam ad Catholicæ Religionis instituta amplectenda tantum non inflexit. Quid adeo incredibile, ac ab ultimis usque & inaccessis Japponiæ Regionibus legatos trahere Principum barbarorum ad obsequia Sedi Apostolicæ deferenda? Id quoque GREGORIO Pontifice majores vestiti viderunt Quirites; retinetque etiam nunc Roma faustissimæ illius diei memoriam, cum Regii adolescentes, post emensa Terræ Marisque spatia propemodum infinita, GREGORIO sisterent se se, ac Pontificiam Majestatem in genua provoluti suorum nomine Regum venerarentur. Quid illud jucunditatis fuit & gaudii, Auditores? Quis effusionem Civium tanquam ad prodigium aliquod confluentium, quis erumpentem omnium ore lætitiam, quis lacrymas Sanctissimi senis, quis denique omnium admirationem ex illo specta-

culo ortam , satis commode explicare se posse existimaverit ? Hoccine etiam , Superi immortales ; GREGORII laudibus accedere debuisse , ut quo vix Natura pervadit ; ejus beneficentia penetraret , nec alia de Causa Regii Juvenes tantum laboris exantlarent , quam ut possent aliquando , cuius essent Charitatem experti , vultum intueri , pedes exosculari ? Quid potuit fieri GREGORIO gloriosius ; bonis omnibus optabilius , omnium consequentium ætatum memoria ac prædicatione dignius ? A me vero quid præterea expectatis , Auditores ? Est tamen aliud fortasse majus . Cavete enim putetis permagno illi stetisse Principum Voluntatem quocumque vellet inflectere atque versare ; uno Nuncio , una significatione literarum id omne conficiebatur . Admissi fuerant Augustæ Taurinorum hæretici aliquot negotiationis causa : res GREGORIO non placet : monet Sabaudum ejiciat : ejciuntur . Henrico Lusitanæ Regi , Sacerdoti & Cardinali , suaserant aliqui nuptias intempestivas , si forte optata sobole Regalis Familia conservari posset : Ægre fert GREGORIUS , quod & pessimo essent exemplo , & nihil propter proiectam ejus ætatem essent profuturæ : significat gratum fore sibi , si eam cogitationem abijciat : Acquiescit . Satis ne istud ? Non est satis . Quid si neque dicto opus erat ? Quid si animum illius Principes , mentemque explorabant ? Quid si nutus ipsos obsequio prævertebant ? An vero

aliud fuit in causa , quamobrem Hernestus
Bavarus Leodiensis Episcopus Monasteriensis
Ecclesiae Principatum recusaret , nisi quod
placitum id GREGORIO autumaret ? Quid
poterat Sigismundum Augustum cum Cæsaris
sorore divorcium facere cogitantem ab eo con-
silio sententiaque dimovere , nisi GREGORII
reverentia dimovisset ? O tutum illud igitur
Consilium , Pontifex Beatissime , plane divi-
num , cum ut Religioni prospiceret , beneme-
teri de omnibus , præsertim vero Principibus ,
statuebas ! Pervicisti enim vero hac via quod
optabamus quidem taciti , sperare tamen mi-
nime audebamus , tua ut auctoritate Gentes
omnes Populique continerentur . Ubi nunc
illi fluctus seditionum , quibus Catholica Re-
ligio tam misere jactabatur ? Per se aliquan-
do conquieverunt : Ubi errores qui per flo-
rentissimas Regiones quasi contagione aliqua
serpentes crudelissime grassabantur ? Qua
compressi , qua prostrati jacent : Ubi scele-
rum illi Antesignani ex omni labe concreti ,
qui ultimum Ecclesiae exterminium intenta-
bant ? Aut fusi , aut subacti mutire non
audent : Tibi tandem uni Religio debet , quod
ab iis turbis , quibus exercita tot ante annis
fuerat , respirat : Tibi quod suum cultum
dignitatemque recuperavit . Multum est quod
ista perfeceris ; hoc tamen tibi gloriostius
contigit , quod non vi , non metu , non mi-
nis , sed amore , cuius est vis æque blanda
ac imperiosa , perfeceris .

Video tamen hic quid dicturi sitis, Auditores: nimiam benevolentiam solere aliquid auctoritati detrahere, minique eo nomine GREGORII laudem, quod benigitatis consilia tantopere sequeretur. Quid enim negotii est multa impetrare ab iis, quibus omnia concedas, docilesque habere, quibus numquam resistas? O falsos Vos, siquidem ita creditis, Auditores! Evidem non deprecor hanc de optimo Pontifice opinionem, quæ omnium penitus animis inolevit, plusculum fortasse, quam necesse esset, benigitati tribuere consueuisse: sit etiam illi fraudi, si vultis, quod ad eum nulli esset aditus interclusus, quod extores, quod egenos, quod miseros omnes in sinum recipere, quod violatus interdum, nulli irasperetur, quod non permetteret quemquam a suo sermone tristem discedere, quod denique perdidisse se illum diem crederet, quo nihil cuiquam præstisset: non renuo; immo etiam fero libenter non alia nota GREGORII nomen aspergi potuisse. Adeo ne etiam, ut cum Religionis causa agebatur, vecordi quadam studitate languesceret? Nihil minus, Auditores. Quoties ille Principes eosdem, quos cæteroqui mirifice amabat, increpuit vehe menter! Quoties acribus verbis compellavit! Quoties, nisi morigeri essent, minas adje cit! Quam pœne, ut ne Religionis causæ deesset, eorumdem inimicitias impavido, constantique animo suscepit! Testis Gebbar

dus ille Coloniensis Antistes Romanique Imperii Septemvir, quem ad hæreticorum placa aberrantem, illa sede, quam impurissimis flagitiis contaminaverat, Pontificio fulmine deturbavit. Testis Bartholomæus Caranza Archiepiscopus Toletanus, quem ob affectatæ hæresis suspicionem, non spoliavit modo dignitate, sed post diuturnum carcerem centumcellas supplicii causa relegavit. Testis græcus ille Palæologus, homo summe facinorus, vitiisque omnibus exaggeratus, quem, quod, impia dogmata per Germaniam disseminasset, Vienna Romam infelicibus flammis ustulandum jussit deportari. An vero ignoratis quam fortiter Ludovico Requesenio Mediolanensis Provinciæ Moderatori sacris interdictum esse voluerit, propter violatam Caroli Borromæi Archiepiscopi auctoritatem? Quid de Cardinali Perenotto dicam? Cui Regnum Neapolitanum pro Rege administranti, si pergeret Nuncii Pontificii potestatem imminutum ire, detracturum se Purpuram denunciavit. Adde huc firmatatem illam vere Pontificiam, qua Philippo Regi Hispaniensis Ecclesiæ proventus confidentius postulanti aperente negare non dubitavit: adde virili animi robur, quo tractum Avenionensem ab finitorum incursionibus valida militum manu propugnavit: adde constantiam, qua perpulit Venetos, ut quas Episcoporum causas cognoscebant, ad tribunal Pontificis deferri paterentur; adde ad extremum illud: etiam,

quam naviter strenueque Rodulphum Cæsarem adegerit, ut in ipsa Imperii assumptione Romano Pontifici obedientiam more majorum solemnni Sacramento polliceretur: usque adeo nimiram sollicitus erat, ne qua consuetudo interiret, qua sublata aliquid Pontificie dignitati, auctoritatique decederet. Etiamne illam GREGORII facilitatem vitio dare quisquam audebit? Fuerit ille quidem ipso naturæ habitu placidissimus: at non ita fuit, ut quomodo Ecclesiæ jura fortiter viriliterque retineret, ingenita illa indolis suavitate prohiberetur; non ita, ut benevolentia, auctoritas, humanitati dignitas, charitati maiestas decesset; non ita tandem, ut cum repugnantes ac refractarios animos leuisibus remedii flectere non poterat, asperioribus frangere recusaret, quoties Ecclesiæ rationes eam postulare vidérentur.

Sed jam monet me tempus, ut ad aliam, quam in hunc locum reservavi Orationis partem, gradum faciamus; de qua tamen ita dicam, Auditores, ut à prima illa discessisse omnino non videar. Nolite enim sic arbitrari, alia quam RELIGIONIS causa Literatum patrocinium suscepisse GREGORIUM, aut alia ratione illis se vindicem/ fautorumque præbuisse, quam quæ Romano Pontifici Summo Religionum interpreti conveniret. Gnarus ille, quantum Catholicæ rei interesset, viros doctos esse in Ecclesia bene multos, iis præsertim temporibus, cum errorum Magistri suis

se literulis veluti armis validissimis tuebantur, contraque Orthodoxam fidem aciem movebant omni eruditiorum genere instructissimam. Vigeant, inquit, in Ecclesiæ sive artes ingenuæ, quibusque nos armis hostes infensiissimi petunt, iisdem ipsis confodiantur. Agebant itaque Religionis causam GREGORIUS, cum bonis artibus amplificandis tam impense allaborabat, nec eas fortasse tantopere expetendas censuisset, nisi ad nobiliorem illum seopum, quem sibi unice proposuerat, viam sternere existimasset. Danda nihilominus fuit hæc literis venia, ut in ejus laudatione viri, a quo spiritum pœne ipsum ac vitam haußerunt, certum sibi locum adsciscerent; quæ præsertim propria etiam venustate illi tantum placuerint, ut proximum a Religione locum apud illum obtinuisse videantur. Iterum tamen solliciti mihi videmini, Auditores, quid hoc loco consilii ceperit Pontifex sapientissimus. Quædam enim per se se præstantia, ut facili cuique in mentem veniunt, ita perfici nisi a viro præstantissimo non possunt; estque illud in re agenda primum præcipuumque, ut difficultates, quæ non ante se produnt quam cum manus operi admoveantur, in tempore prævideas, eamque ineas viam, quæ tutissima omnium sit, non quæ brevissima exhibeatnr. Is quippe esse solet exitus rerum gravissimarum, ut quæ brevissime fiunt, nec perfectæ sint, & brevi intereant; quæ vero altius inchoantur, illæ & suis constent;

numeris, & ad omnem diurnitatem firmissimæ perseverent. Quid jam alta illa mente GREGORIUS, cum artium ingenuarum studia latius propagare deliberabat? Quid factum putatis? Mihi quidem, nec scio an plerisque vestrum, in hac mediocritate prudentiae nihil prius fuisse, quam ut homines doctrina præstantes unde magnis præmiis propositis allicerentur, iidemque & rerum, & honorum omnium præsidiis cumularentur, sic ut, nullum præter literas expeditius iter ad fortunas amplificandas, augendamque dignitatem cuiquam patere, omnes intelligerent. Et id quidem GREGORIUS omissum noluit, qui sciret, jacere artes optimas instar palmitum, nisi ulmum invenerint, cujus beneficio sustineantur. Itaque si qui uspiam essent rerum pulcherrimarum cognitione exculti, si qui vel severioribus illis & sacris, vel etiam his amoenioribus disciplinis exercitati, eorum omnium Patronum se ac Parentem publice profiteri. Nec verum tantum admirari, tantum laudare disertos, ut nescio quis de Divitibus suorum temporum expostulabat; sed honoribus amplissimis ornare, effusisque largitionibus locupletare non destitit; prorsus ut haec opinio omnium animis invalesceret, nullam neque gratiæ, neque cognationum, neque Divitiatum commendationem tantum apud illum, quantum amplam doctrinæ supellectilem valere. Ex quo etiam tantus Romæ factus est per illa tempora Literatorum concursus, quos

ex omni natione GREGORII beneficentia inescavat; ut perturbatam jam inde a multis ætatibus ac deerrantem anni periodum, de qua cæteroqui componenda tandem agitatum in conciliis, quæsitumque fuerat, tunc demum insigni humani generis commodo restitui, certaque norma firmari, ac stabiliri contigerit. Verum, ut illa non inficiar, si huc omnia recidissent, nihilque præterea actum ab eo esset; ecquid putatis satis literarum stabilitati consultum fore? Precarium, mihi credite, Regnum indeptæ essent, eodem ac GREGORIUS funere interituræ, nec scio an ejus industria & laboris ullus ad nos fructus atque utilitas pervenisset.

Aliud itaque factum oportuit, ut constans, publicum, perpetuumque esset beneficium literarum. Quæratis quid illud fuerit? Ante oculos est. Circumspicite, amabo, parietes hujus Aulæ, quotque per GREGORIUM domicilia ad juventutem instituendam ubique terrarum posita fuerint, in iis tabulis recognoscite. Tametsi, quid hæc inania atque emortuis celoribus adumbrata sectemur? Quasi vero Romæ non simus, in quam Urbem, ut solent nationes omnes Populique, tanquam in aliquod orbis terrarum compendium, optimos quosque adolescentes studiorum causa transmittere, ita suum hic omnibus Collegium esse voluit, in quo & moribus optimis externi juvenes fingerentur, & literis, præsertim illis gravioribus sanctoribusque, imbuerentur:

Suum Anglis , suum Græcis , suum Maronit is , Germanis , Ungarisque suum . Deus immortalis ! Quid hoc fuit aliud nisi totidem Castella his triumphalibus jugis imponere , in quæ , si forte a reliquo orbe ejicerentur , tuto se bonæ artes colligere , atque habita re possent ? Quid aliud inquam fuit , nisi ad omnes futuras ætates beneficium exten dere , literisque tum maxime ex tenebris sor dibusque , in quibus dudum jacuerant , emergentibus , & dextram porrigit , & perfugium dare ; & quandam veluti immortalitat em assérere ? O factum bene ! O præclarum GREGORI de literis Providentiam sæculis omnibus prædicandam ! Date mihi hanc veniam , Auditores , ut possim hoc loco paulo loqui liberius ; neque enim , quomodo dicam aper te quod sentio , pudore aliquo impediatur ; nec si quid inde laudis in nos derivari videatur , notandus idcirco sim ; cui ea imposta necessitas est , ut quæ attingere vere cundia non esset , officii sit prædicare . Sic ergo statuo , Auditores : si nullum , nisi horum , quos hic tanta frequentia videtis , Germanorum , & Ungarorum Collegium GREGORIUS posuisset , hoc uno literariæ rei tantum præstitiesse , quantum fortasse præter illum nemo . Id quod si quis minus considerate a me dici suspicaretur , is profecto ignorare se ostenderet , eo lectissimos ex flore illius nobilitatis Adolescentes convenire , ibi optimis institutionibus numquam intermissa exercita-

tione formari, inde sanctioribus disciplinis
instructissimos in Patriam revertentes, Roma-
næ Ecclesiæ dignitatem contra adlatrantes
columnias morum integritate præstantiaque
doctrinæ sustinere. Ignoraret plane, innu-
meros primi subsellii Antistites, Cardinales
plurimos, quinque ipsos Romani Imperii Ele-
ctores, ibi ad futuram amplitudinem prolusis-
se, earumque dignitatum, ad quas deinde
proiectiore ætate eructi sunt, Tycrinium
quodammodo posuisse. Adesto jam, sic vos
Superi adjuvent, Auditores; & siquidem ve-
rissimum illud omne est, mecum quid dicen-
dum sit judicare, cum non illud unum, sed
& alia multa Romæ, & Vientiense in Au-
stria, Branspergense in Prussia, Græciense in
Stiria, Pragense in Boëmia, Rhemense in
Gallia, Dilingantum & Augustanum in Supe-
riore Germania, Fuldense in Franconia, Ol-
muncense in Moravia, Mussipontanum in Lo-
tharingia, Vilnense in Lituania, Claudiopolitanum
in Transilvania, in Piceno Illricum,
aliaque in Japonia ipsa, extremisque defi-
cientis terræ Regionibus excitaverit; nec
excitaverit modo, sed amplissimis redditibus,
proventibusque dotaverit; nec eo contentus
regulis insuper institutisque sanctissimis com-
muniverit. Hoc enim vero illud est, quod
ante GREGORIUM cogitaverat nemo, post ipsum
vero & cogitari & fieri potuisse omnes ad-
mirantur.

Sed ut ad hanc in quo sumus locum post

tam longam evagationem revertamur, videte quid de hoc Athenæo dicendum putetis, quod veluti primarium sapientiæ domicilium in Urbe terrarum Principe collocatum ipse voluit, & ea quidem magnificentia, qua nihil attinet me dicere, cum ipsi videatis. Non quæro quæ partes nostræ sint in hoc literario Theatro: concedam etiam si vultis, multo uberiores fructus collectum iri, si aliis hunc ipse campum excolendum tradere maluisset. Illud ex vobis quæro, Adolescentes optimi, an vestræ institutioni melius consulere potuerit Sanctissimus ille Pontifex, quam cum tale vobis Collegium fundavit, in quo nec Gymnasia, nec Magistros, nec ullam artium pulcherrimam, nec æqualium societatem, ex qua æmulatio & certamen maximum vestris animis incitamentum, nec, si quid aliud est literis bonisque moribus exprimendis idoneum, desiderare possetis. Profecto, ut estis ingenuo & liberali animo, non negabitis, reclusos hic vobis ab eo esse perpetuos veluti sapientiæ fontes, vobis omnis literaturæ aliquod quasi emporium patefactum: ut quantumcumque hinc utilitatis in vos proficiuntur, non tam Præceptorum industriæ acceptum referre, quam GREGORII Providentiæ beatis.

Habetis, Auditores, præcipuum GREGORII de literis amplificandis arcanum, quod cum tantam Orationis meæ partem absorbuerit, ut jam vela mihi contrahenda sint, ne latius ad

ad vestrarum satietatem aurium excurrant, alia cogor prætermittere: Quæ si dicerem; tum vero maxime, aut ego fallor, divinam ejus sapientiam admirari deberetis, qua, ut Religioni tacite serviebat cum bonis artibus propagandis incumberet, sic harum negotium tam dissimulanter agebat, ut aliud omnino agere videretur. Etenim cum Ditioni Pontificiæ difficillimis ipsis temporibus Annonæ copia & utilitate consulebat, cum pestem gliscensem arcebat, cum deterrebat Piratas dispositis ad littora Custodibus munimentisque excitatis, cum nocturnas Sicariorum grassationes ferro flammisque persequebatur, cum nascentes subinde Civium dissensiones componebat, cum urbes sibi subjectas non modo bellis, sed ipsa Bellorum suspicione librabat, cum denique summam ubique pacem concordiamque firmabat fovebatque; an alio spectasse dicendus est, nisi ut quæ bonarum artium studiis inimicissima sunt, penuriam, metum, discordias, pericula, tumultus, quam longissime amandaret? Atqui aliam habent isthæc omnia utilitatem, propterquam expeti ab amantissimo Principe debuissent: Do vero; Quid tum? Si modo bonis artibus aliquid conferunt, idque vos ipsi conceditis, nihil præterea postulo: Quin etiam præclarus fortasse mecum agitur, quo minus necessaria illa a vobis existimantur: Jam enim liberius confirmare potero, nihil, nihil inquam, relictum ab eo esse, quod illarum

Tom. III.

E

66 GREGORII XIII. P. O. M.

stabilitati vel necessarium, vel ullo modo
commodum opportunumque videretur. Sed non
abutar diutius patientia vestra, Auditores;
præsertim cum satis jam superque confecis-
se videar quod initio proposueram, GREGO-
RIUM XIII talēm revera extitisse, qualem
esse illum oporteat, in quo Sacerdotium &
Imperium, divinarum nempe, humanatumque
rerum administratio conjungatur. Id si vobis,
ut spero, persuasum per me fuerit, quod in-
eleganter, quod inornate dixerim, me magnopere
non pigebit, imo etiam boni consulam;
Erit quippe hoc ipsum GREGORIO gliosum,
quod ejus virtus, nuda cæteroqui & simplex,
nulloque verborum artificio adulterata, tam
honorificum a vobis judicium obtinuerit; Quod
autem grata fecerim, id velim ipse, ex qua-
cumque tandem Cœli parte me dicentem au-
diverit, sic accipiat, ut manere apud nos me-
moriām beneficiorum intelligat, eaque nobis
tam eximia contulisse lætetur. Reliquum est
ut vos etiam quotquot hæc Gymnasia frequen-
tatis, Adolescentes, quando ad vos quoque
hujus Collegii beneficium pertinet, gratiam
illi aliquam rependatis, a quo hæc omnia ac-
cepistis. Sic autem habete, nihil illi gratius
fieri a vobis posse, quam si Religioni, Bo-
nisque Artibus, quæ duo conjuncta ipse vo-
luit, pari vos contentione & studio animum
mentemque vestram addicatis.

 IN INSTAURATIONE STUDIORUM

O R A T I O

Romæ habita.

Quod nulli unquam Oratori fortasse contigit, ut in magna Auditorum multitudine eorum adesset nemo ad quos maxime Oratio pertineret, id mihi ex hoc loco verba factu-
to contigisse sentio, lætor etiam magnopere Auditores: Cum enim illud mihi demum ho-
dierna proposuerim oratione, ut qui minus
ingenio valent, eos ad studia literarum ex-
colenda excitem, atque inflammem, quibus-
que artibus novercantis naturæ vitium redi-
mi possit, cum idem ego explicaturus acces-
serim, video mihi ante oculos frequentiam
ejusmodi in qua cum omnia omnium gene-
rū ornamenta homines superique congesse-
re, tum vero amplissimam ingenii abundan-
tiā admirari necesse est. Romæ nimirum
sumus, ubi nihil mediocre a natura progi-
gnitur, nihil imperfectum relinquit industria.
Romæ inquam sumus, in qua una urbe
(pace dixerim nationum cæterarum) præ-
stantissima terrarum orbis ingenia aut veluti

E 2

proprio in solo enascuntur , aut certe aliunde advecta educantur , ac perficiuntur: Ubi denique Cœlum ipsum , nescio quo admirabili modo , & aer iste quem spiramus , hominum mentes exacuit , ac denuo , ut ita dicam , excudit , ut illæ etiam quæ ex infelici luto compactæ sunt , hic paulatim recoquuntur quodammodo , donec congenitas impuritates omnes abjiciant , ac tandem in metalla formentur . Quod si admirabilis quædam ingenii vis & facultas communis Romæ est atque vulgaris , videte quid de lætissima hac Juventute statuendum sit , quam ex optimis , non hujus Urbis modo , sed Italæ , atque adeo Europæ universæ adolescentibus coaluisse non ignoratis . Num quem inveire potero , cui minus acre ingenium , aut minus velox fervidumque obtigerit ? Nullum opinor . Atque hoc quidem , tametsi incommodum dicensi videri debeat , delectat me vehementer Auditores , nec tam dolendum id mihi est , quod nulli profutura sit oratio mea , quād quod nulli prodesse possit , omnibus est gratulandum . Neque vero propterea alios ego Auditores optaverim aut ab incepto desistendum existimem : Nam præterquam quod non id agimus , ut fructum aliquem in hac concione capiamus , quod ipsi scitis , sed magis ut consuetudini serviamus , nihilque prætermittamus usitati , præter hæc inquam omnia , genus hoc orationis tale est , ut iis præsentibus ,

ad quos unice pertinet recitari non possit sine offensione & invidia. Quis enim usquam est, qui cum ingenio sit perexiguo, id sponte fateri velit, aut omnino velit agnoscere? Nihil ægrius plerumque fit, quam ut isti visideri velint quod sunt. Quod si idoneam aliquam medicinam miseris adhibere statuas, furere statim, stomachari, beneficium injuriæ, misericordiam audaciæ vertere, omnia demum in malam partem accipere. Bene itaque mihi, atque præclare cedit, quod istorum nullus intersit cum de ipsis dispiro. Hoc certe liberius, & fortasse commodius dicam, quod nemini invidiosam fore intelligo orationem meam. Restat igitur ut ea quæ non vobis, sed vobis tamen præsentibus dicturus sum, benevolis animis auribusque, Auditores humanissimi, accipiatis.

Cavete tamen sic putetis, ad illos etiam qui plumbeo ingenio, ac fere nullo sunt, præceptiones has meas pertinere. Si qui enim Miopes sunt, aut luscitiosi, iis utilitatem afferunt perspicilla, cæcis vero aut omnino exoculatis usui esse non possunt. Itaque si qui sunt, qui aliquot annorum experientia compererint obtusissimam sibi mentis aciem obtigisse, veluti si pueritia egressi, partemque aliquam adolescentiæ prætervecti, labore assiduo, & nunquam intermisso conatu nihil adhuc literarum adepti sint, isti de literis, auctore me, desperabunt, iisque nun-

tium remittent. Quid enim facias agello, cui Deus talem indidit naturam, ut nullum sit unquam fructum alluturus? Omnis opera quam excolendo impendas, certissime pessum ibit. His itaque suadeo ut ad alia se conferant, quibus aut vitam sustentare possint, aut statem honeste ac fructuose transigere. Enimvero nec ipse video, quod aebat Horatius;

*Studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium: Alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amice.*

Et vero mirari satis non possum tam multos in scholis adolescentes contra indolem, geniumque obdurare, in iisque barbam dimittere, & florentissimam vitæ partem consumere, quos statim intelligas ad omnia alia natos, factosque esse, quam ut vel levissimam in re literaria laudem consequantur. Oh inanes conatus! Oh miserandam laboris temporisque jacturam! Miseret me istorum, ut vere dicam, nec scio an expediret eos in ipso juventutis flore militiæ transcribi, ut quam existimationem mente ingenioque non possunt, manu & armis exquirant. Quid ni autem id ita fiat, cum ea res & ipsorum naturæ magis accommodata, & privatis rationibus consentanea, & non minus fructuosa Reipublice videatur.

Nam solis fortasse literis vera honestas &

amplitudo continetur? Quis, nisi forte ignavissimus quisquam, otiique ac deliciarum amator perditissimus, id confirmare audeat? Non equidem sic existimarent sapientissimi Regnorum Rerumque publicarum Institutores, qui ab armis æque ac literis publicæ tranquillitatis præsidia & firmamenta accersenda putavere. Non ita terrarum Domini judicant Reges, qui literatos perinde viros ac strenuos milites in sinu ferunt ac fovent, quod utrosque sibi utiles, & comuni saluti necessarios arbitrantur. Ipsa profecto Religio, qua nihil carius, nihil prius optimo cuique esse debet, male hodie haberet, difficilique admodum loco versaretur, si multis solummodo præclarisque Doctoribus abundaret, nec totidem saltem bellatoribus contra nefarios barbarorum incursus tueri se posset atque defendere. Age vero: quot cohortes, quot legiones militum optimorum ad Istrum transmitti possent, si vel ex omnibus totius Italæ Palæstris inepti Juvenes educerentur? Quam multi in illo pulvere fierent prælatiores egregii, & fortasse etiam Duces invicti, Imperatoresque palmarii, qui intra hos carceres scolastici sunt contempnendi, solisque scannis tepefaciendis idonei!

Si valetudo impar est bellicis laboribus tolerandis, si vires imbecillæ, si quod verius puto, animus parum firmus, ac plus æquo meticuloſus, si denique anima tanti est, ut

eam incertis bellorum eventibus nobis expōtere
minime arrideat; nullæ ne sunt Principum Aulæ,
in quibus possis operam tuam non infructuose
præstare? Si non eo loco natus es, ut talia
affectare possis, disce liram pulsare, disce
pilum tondere, aut ligna concidere, aut ca-
ligas, aut vestimenta consuere, aut demum
quod pronissimum est, disce convectare hu-
meris sarcinas, aut pedibus mustum ex-
primere. Quidquid id erit, bene mihi credo
erit, si qua modo via utilem te Patriæ rei-
que publicæ præstes, & omnino nihil agen-
do non consenescas. Unum modo est quod te
dehortor, ne literarum iter tibi capescen-
dum putes, siquidem ingenium aut nullum,
aut certe perexiguum a natura obtinui-
sti. At enim Toga sumpta est ab ipsa
infantia: Hoc Genitores volunt, hoscibi de
te pollicentur fore, ut sacrificulus aliquan-
do fias, & Mitellam quoque, si superis
placet, Familiæ adjungas. Valeant mihi ve-
ro Genitores tui, qui, ut est vetus pa-
rœmia, *aquam ex pumice postulant*: atqui
mentis facultatem quam natura non indidit,
illi non supplebunt, nec unquam impetrabunt,
ut Margites, quantumvis toga indutus, in
alium hominem commutetnr. Quo magis mul-
tum interesse judico, ut grandioribus adole-
scentibus in amplexando vitæ instituto vis
nulla a Majoribus inferatur, eorumque potius
indoli & ingenio *ex hac parte obsecundetur*:

minime verum Parentum illorum consilium, probare possum, qui cum de mira liberorum hebetudine subinde a Præceptoribus doceantur, eosque non inertia, non aliqua animi perversitate, sed mentis vitio nulos progressus facere certo sciant, perstant nihilominus vexare miseros, modisque omnibus cruciare, cum multo facilius possint vivis pellem detrahere, quam optatos studiorum fructus ab iisdem obtainere. Et nihilominus si istorum aliquis Majorum suorum imperio ad literarum studia compellatur, nec possit aut precibus, aut suasionibus honestam missionem impetrare, ille si me volet audire, faciet quantulum poterit, anima salva ac valetudine: Et quamquam aquam, ut ajunt, *in mortario tundet*, certe invite Deo non faciet. Præter enim quam quod Juventutem periculosissimam viæ partem, ab otio, indeque consequentibus malis, remotissimam aget, perspicaciam fortasse aliquam & intelligendi vim divinitus impetrabit: quemadmodum de Cœnobita illo ferunt, qui cum arido palo quotidie aquam ex obedientia affunderet, illud tandem pervicit, ut contra naturæ vires in gemmas floresque progerminaret. Sed his prætermisis, quos quidem ego pancissimos esse judico, ad vos me confero; qui ingenii mediocritatem causari soletis, ne ad sapientiam quantum opus est ad uitamini. Sit ita sane ut dicitis: minus liberaliter natura vobiscum egerit; itaque reptandum vo-

bis humi sit, ut illum attingatis doctrinæ gradum, ad quem alii feliciore astro nati sine labore & conatu, non tam gradiendo quam volando perveniant. Invitus equidem facio, cum hoc ipsum vobis tam prompte benevolèque concedo. Mihi enim multorum annorum experientia compertum est, latere aliquando, non deesse, sotpum non extinctum esse ingenii lumen; & quidem sic, ut si te ipsum executias, excitetur illico atque prosiliat virtus illa prænobilis, quæ abstrusa prius, otiique atque socordiæ cœno involuta quodammodo marcescebat: qua ferme ratione intra silicum venas delitescentia flamarum semina ferro iostibusque eliciuntur, & ab angustis quasi carceribus eruptæ favillæ expllicant sese, ac licentius volitant, mira, si opus sit, incendia excitaturæ. Verum esto sane ut rogatis. Num propterea quod vires non præstantissimæ sunt, eximiam aliquam doctrinæ laudem assequi non licebit? Adeoque demisse de nobis humiliterque sentiempus, ut naturæ vitium labore industriaque redime, re nefas putemus? Videte quæso, ne dum naturam parentem optimam injuriæ postulatis, socordes ipsi ignavique inveniamini. Neminem vestrum ignorare puto, Auditores, liberales artes ac facultates, ex quibus veluti partibus sapientia concrescit, non ejusdem omnes esse indolis atque naturæ. Et quamquam nulla sit, quæ & ingenium ali-

quod, & sedulitatem plurimam non exposcet, sunt certe aliquæ, in quibus ingenium non ita multum, studium vero, ac diligentia plurimum valet. Quod ne temere & sine causa a me dici videatur, singite vobis hominem quempiam quantumlibet ingeniosum, ac mira in rebus omnibus p̄vestigandis sagacitate: sit e regione alter cum tenui ingeniolo, quod mediocritatem attingat quidem, sed non admodum p̄tergrediatur. Jam illud ex vobis quero, Auditores; uter putatis citius callebit & melius Romæ veteris historiam? Ille profecto, nisi si omnia me fallunt, qui illius Reipublicæ annales ac monumenta citius diligentiusque p̄volverit. Quid ita? Quia historicæ notiones sunt hujusmodi, ut debeas singulas perlustrare oculis, memoriæque committere, omnesque guttatum, ut ita dicam, haurire: quod cum seque possit qui tardiore ingenio est ac qui prætantissimo, pari quantum ad hoc conditione utantur necesse est. Quo ferme pacto ubi via sit crebris anfractibus impedita, citatumque cursum non admittat, fit ut velocissimus equus ac plane cursorius, tardiorum illum plaustrarium ac suspiriosum antevertere neutquam possit. Jam vero quod ego de historia dixi, idem vos de geographia dicitote, quam procul dubio si ingenii volatibus metiri quis volet, nunquam fiet, ut possit de variis terrarum solis, de fluviorum flexi-

bus, de moribus nationum, scite commodeque disputare. Idem de utriusque Juris prudentia ego automo, quam planissime non comparabis, nisi Pontificum aut Cæsarum sanctiones alias ex aliis, non ingeniose ratiocinando, sed oculis percurrendo perdidiceris. Idem de veterum monumentorum atque numismatum intelligentia, quæ nulli plane subducitur, nisi ei qui utroque sit oculo diminutus. Idem ad extremum audeo dicere de omnibus universæ linguis, in primisque de latina, in qua tametsi plusculum ingenio tribuo, illud tamen defendo, numquam fore ut ingeniosissimus quispiam veterem illam ac perpolitam latini sermonis castitatem exprimat, nisi optimorum scriptorum monumenta triverit manibus, animoque combiberit. Sanctum itaque sit apud vos, Auditores, magnam nec certe pœnitendam esse sapientiae partem, in qua tametsi ingenio aliquo opus sit, labore ac memoria res agi postulat plusquam ingenio. Cur non igitur prima hæc erit, industria pars, ut qui minus ingenio potest, sumat sibi materiam *viribus æquam*, *versetque diu*, secundum Horatii præceptum, *Quid ferre recusent, quid valeant humeri?* Num qui in iis, quas supra memoravi, disciplinis multum excelleret, satis uberem non caperet fructum laboris sui, doctique hominis nomen ac personam cum dignitate non gereret? Nam fortasse sapientia extra Philo-

sophiam hanc nostram , illasque cognatas ve-
luti facultates , quas speculatrices vocant ,
esse non potest ? Quis nisi sit durissimi oris
hoc dixerit ? At siquidem de nostra Phi-
losophia incidit mentio , non est ultra dissim-
mulandum Auditores , de hac ego quid sen-
tiam . Et quamquam scopulosum esse video
locum in quo versor , cum & libere loqui
velim quod est , & neminem ab hac deter-
rere debeam , ajo nihilominus , & aperte qui-
dem , ut omnes intelligent , studium istius-
modi non vulgare ingenium , sed egregium
& exquisitum exposcere . Atque hanc ego
causam potissimum esse judico ; cur tam mul-
ti hac ætate sint , qui ab hac ad illam
aliam ab transmontanis Provinciis superiore
sæculo invectam deficere maluerunt . Nihil ,
mihi credite , in Aristotele isti reprehendunt ,
nec tam lippi sunt qui non videant ,
qualem oporteat esse eam sectam , quæ to-
tius antiquitatis testimonio , quæ tot sapien-
tum suffragio , quæ tot sæculorum consensio-
ne commendatur , quæ denique una retroactis
temporibus scholas invaserat universas , supra-
que invidiam , & citra emulationem regnare
videbatur . Sed viribus diffidunt suis , studii-
que difficultate summoventur . Et sane longe
aliud est dialecticis , metaphysicisque quæstio-
nibus , quæ sensum fugiunt , omnemque ma-
teriam supervolant , feliciter emergere ; aliud
versare tubos , siphones , alembicos , aliaque

id genus, quæ cadunt sub oculos, ac manibus ipsis pertractantur. Non itaque quia verior, solidiorque, sed quia planior ac facilior, illa in pretio est Philosophia: Nec sane miror tanta frequentia studioque homines ad illam se contulisse, cum nulli non licet summam affectare doctrinam, ipsæque foeminae inter fusos calathosque puerulis experimenta narrantes, ignavissimis quibusque ad lauream consequendam signum aliquod præferte videantur. Tametsi quid hæc ego persequor frustæ, quasi non ille ipse ardor paulatim remittat, ac sensim, ut est rerum omnium conditio, consenescat? Ex quo enim ocularibus illis experimentis geometricæ subtilitates nescio quæ admisceti cœptæ sunt, videor mihi videre miram Philosophorum paucitatem, qui, tametsi recentiores dici & habebi velint, magnopere laborent ut sint. Nimirum nostræ ætatis homines, aut moliores sunt quam ut tam laboriosis studiis implicari se patientur, aut illud tandem intellexerent, omnia in incerto esse ac semper futura, quæcumque in eas viam philosophandi. Ita factum est, ut jam Sectatores non adeo multi utrinque numerentur, plerique autem, quibus aliquid scire certum est, tot asperitatum aspecta perterriti, ad planiora studia, eaque multo amœniora declinaverint. Qua in re si meum judicium dicere jubeas, etiamsi censilium minus probarem, sequerer

certe ego, si possem, perlibenter. Sed ut eo
jam revertamur unde non nihil digressi su-
mus, quamquam revera Philosophia quæ a
nobis traditur non omnibus sit ingeniosis acco-
modata, minime velim id ita à vobis accipi,
ut cui vires minus idoneæ sunt, de illo sta-
tim conclamandum existimetis. Quid enim
non evincit industria? An quia deterioris na-
turæ sit novale aliquod, idcirco negligendum
judicamus. Agrorum igitur sterilitati cultu-
ra studio medemur, de scientia hac præcla-
rissima actum erit, nisi ad illam ipso quasi
naturæ habitu nati factique simus? Num pro-
pterea quod summam consequi laudem non
licebit, omnem omnino contemnemus, satius
que judicabimus nihil quam pauca scire? Au-
dendum igitur est, & quantulumcunque illud
erit quod efficere poterimus, magno in lucro
ponendum. Quidquid nec illud erit adeo te-
nue ut fingitis, si modo in subsidium in-
genii paucula quædam præcepta adhibeantur?
Primum est, ut isti propriæ imbecillitatis
conscii in philosophico studio percurrendo
trahi se sinant quodammodo ac manu duci,
nec tantulum viæ sine duce ac gubernatore
ingrediantur. Quemadmodum enim cui obtu-
sior sit acies oculorum, si præsertim in te-
nebrisoso ac impedito loco positus sit, co-
mitem sibi adjungit, eumque religiose sequi-
tur, ne aut labatus, aut offendat; ita isti
nihil inconsulto præceptore audeant necesse

est, ipsiusque institutis sancte insistant, & acquiescant. At solis hebetioribus istud præcipimus? Imo omnibus universe discipulis. Tamen cum iis qui perspicaciore ingenio sunt, non est ita ad vivum resecandum, ut si velint aliquando extra præfinitas a magistro lineas non nihil divagari, illico reprehendendi sint. Quidni enim liceat istis interdum altius assurgere, & siquidem plumas habent, volatum exercere, dummodo longius a præscripto non spatiuntur? Alterum quod illos moneo est, ne nimis multa simul moliantur, & multum quidem studeant, sed non multis. Cujus enim est tam opulentum ac ferax ingenium, quod non magnopere debilitetur, si in plurimia, eaque diversa distrahitur? Illi etiam, mihi credite, qui singulis pares forent, si omnia simul complecti velint, impares inveniuntur. Nimirum nimia cognitio-
num multitudine ac varietate mens pene ob-
ruitur, ipsaque illa constipata tot rerum fre-
quentia facit, ut ægrius singulæ percipiatur, quo ferme pasto videmus obstrui mea-
tus omnes angustiores atque occludi, ubi multa turmatim corpora ad ingressum, aut exitum conglomerentur. Fac deinde percipi.
Cum multa simul inordinate permiscentur, mira oboritur caligo ac perturbatio ægrorum somniis quam simillima, ut etiamsi plurima in mente sint, nihil possit ad certum usum depromi, unumque alteri officiat, ne quid-
quam

quam in loco ac tempore proferatur. Tu ne igitur speres tuo isto capitulo plurima simul posse comprehendere, & illa etiam quæ disjunctissima sunt, nullaque inter se proximitate continentur? Te cum isto tam exili ingenio Philosophiæ incumbere, eodemque tempore in oratoria arte poeticaque versari, & ad hæc græcam fortasse linguam, aut aliam addiscere, & quasi ista nondum satis essent, aliquid quotidie ex utraque historia sacra ac profana decerpere, aliquam etiam cujusque diei partem moralibus quæstionibus, aliquam aliam criticæ & eruditioni tribuere? Quam vereor ne frustra demum omnia sint, ac sero intelligas istam animi intemperantiam in ipsis quoque liberalibus studiis esse coercendam, eumque sapere, qui gradatim pergit per singula, non eum qui omnia uno quasi impetu invadit. His denique consecrarium est aureum illud divinumque præceptum quo quidem nullum meo judicio est salutarius, nullum utilius, digniusque quod incidatur columnis omnibus, omnibus ubique monumentis repræsentetur, quod tamen a Cœlo ipso ad nos demissum existimo *Festina lente*. Cum enim in omnibus vitæ negotiis usum habet multo maximum, tum vero in liberalibus studiis ita est necessarium, & nisi tempestiva celeritas cum prudenti quadam tarditate miscetur, dispeream si ulla sit unquam fruges ex labore quantumvis impenso diurnoque

Tom. III.

F

consecutura. Quo igitur pertinet impotens illa & intempestiva celeritas, qua fastidiosi aliqui Juvenes, vix e carceribus egressi, jam metam animo & cogitatione præripiunt, nec tam pércurrendum sibi studium, quam devorandum arbitrantur? Nimirum omnis mora ipsius longa est, & cito carpere volunt poma, quæ non nisi lente, & multo post tempore maturescunt. Quorsum vero hæc tanta festinatio? Scio: ut qamprimum vale dicant Gymnasib, ut removeatur aliquando Pedagogus, ut genio libere indulgere liceat, & ne quid gravius dicam, longum feriari. Oh præpostera consilia! Oh fatuas cogitationes! Quasi vero non idem usuveniret istis bonarum artium helluonibus, quod voracissimis quibusque solet, qui dum cibos integros minimeque comminutos nimia aviditate deglutiunt, non tam alimentum vitæ, quam stomacho laborem, & cruditatem afferunt. *Qui plus satis festinat initio, serius ad finem pervenit,* ajebat Plato; ipsaque rerum magistra experientia quotidie docemur, non qui celerius, sed qui majori assiduitate currant, eos longiora itinera conficere, & ad remotissimas plagas citius pervenire. Næ illi desipere mihi videntur, qui certa sibi, & plane angusta temporis spatia præfiniunt, quibus artem aliquam aut scientiam assequantur, cum labore & ingenio, non ulla temporis mensura ea res æstimanda videatur. Non poteris une

anno? Duos impende, aut plures, si opus sit: *Sat cito, si sat bene.* Multoque laudandus magis Fabius ille maximus, cui etiam cognomen additum est *Cunctatori*, quod Romano Imperio rem cunctando restituit, quam alii Imperatores, qui eandem inauspicata celeritate affixerant, ac pene ad extrema redegerant. Atqui ego, dicet aliquis, nimis hercle non propero, nec unquam committam ut sim ex hac parte reprehendendus. Ita ne vero? At nihili pendis quod festinandum tamen est, atque ita demum tarditatem laudo, ut cessationi ac desidiæ locum esse non patiar? atque hoc tandem est, Auditores, quod Titus Vespasianus repræsentare voluit, cum anchoram numismati insculptam edidit, quam medium Delphinus obtecto corpore completestatur: Hoc puto spectavit laudatissimus Imperator, ut anchora, quoniā navim remoratur & sistit, diligentia tarditatem indicaret, qua res quæque moliendæ ac pertractandæ sunt; Delphinus vero, quod hoc nullum aliud animal sit celerius, aut perniciose impetu feratur, perpetuum nisum progressumque ex primeret, quo rebus iisdem est insistendum, eaque duo inter se apte connexa gravissimum hoc documentum hominum mentibus, atque ipsis adeo oculis exhiberent, ut neque præ-propere quidquam fiat, neque segnius quam oporteat, eaque tandem cunctatio & tarditas adhibenda sit, ut tamen procedatur quotidie

aliquo gradu, & manus ab incæpto nunquam removeatur. Quod si hæc ita sunt, jam nihil est ultra quod addam, & in hoc uno desinunt præcepta mea, ut quibus curta est ingenii supplex, in animum inducant, laborandum sibi esse nayiter strenueque, nunquam esse otiamdum. Hoc certe deteriore conditio-ne isti sunt, quod contra adversas velyti aquas velis remisque niti debeant, ut si paululum cessare velint, illoco retro abripian-tur, multumque dediscant eo die, quo nihil didicerint. Liceat ergo aliis interdum feria-ri, liceat aliquando otiosum spiritum ducere: Moram illi si quam interponent, cursus etiam celeritate mox rediment; at quibus est testu-dineo gradu semper incedendum, si cursum non nihil intermitant, jacturam plane non rependent, initumque curriculum aut nun-quam, aut nimis sero copfient. Video equi-dem duriuscum id accidere, quam ut sta-tim deglutiri possit. Agite vero; tanti est mentem, nobilissimam hominis portionem, ex-eolare, rerumque pulcheriarum cognitione exornare. Quid? An eos omnes præclarissi-mos viros, quorum nomina omnium æstatum memoriæ tradita sunt, ingenio liberalissime instructos fuisse existimatis? Quam multos possum ego in medium proferre, qui vires omnes, quibus summam doctrinæ laudem ade-pti sunt, non a natura habuerunt, sed ab industria sunt mutuati! Demosthenes sane il-

le, cuius commemorato nomine nescio quid excelsum divinumque audientis animo obortitur, ita nihil ab adolescentia ad oratoriam laudem erat ingenio, ipsoque corporis habitu comparatus, ut cum deinde pro publica libertate diceret, & Philippum autem illis concionibus insectaretur, alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa diceretur. Quid de Socrate, quid de Catone illo superiore dicam? Quorum alter ad discendum ipso sui testimonio pauperrimus, cum philosophicis studiis se dedidisset, ad docendum locupletissimus inventus est; alter vero proiecta jam ætate cum ad causas dicendas rudis omnino ac Tyro se contulisset, perfecit industria, ut neque memoriā quisquam ejus tardiorē, nec quassataū laterū firmitatem, nec os hæsitatione impeditum animadverteret. Sed quid illa remotiora commemoro? Perinde quasi plurimos ipsi non nossemus, quorum cum minima esset expectatio in adolescentia, adhuc ingeniosissimis aliis, sed non adeo sedulis, præter omnium opinionem palmam ad extreum præripuere. Quorum igitur pertinent illæ voces inertiae socordiæque plenissimæ, quibus de natura tantopere ex postulatis, quasi inique ab ea factum sit, quæ aliis expeditissimam intelligendi facultatem, vobis vero non ita amplum ingenii patrimonium non impertiverit? Frustra, mihi credite, quam culpam ipsi totam sustinemus, in na-

turam rejicimus; si quid enim ab ipsa peccatum est, non est hujusmodi, quod redimi a nobis labore industriaque non possit. Id quod quibus artibus fieri debeat, satis ut puto usque haec tenus planum feci.



VIRO CLARISSIMO

JOANNI ANTONIO SERGIO

JULIUS CORDARA S. J.

S. P. D.

Quos ad me misisti libros Josephi Aurelii de Januario duos, eo accepi grati animi sensu, quem & natura ipsa doni per se pretiosissimi, & tuæ, Sergi, litteræ plenæ humanitatis, officiique postulabant. Libros porro ipsos pervolutare statim cœpi incredibili aviditate. Etsi enim hac ætate, atque hoc severiore instituto vitæ meæ, quæ scribendis meæ Societatis Annalibus tota occupatur, minus jam delector delicatioribus istis literis, quibus nonnullam operam junior dedi; si quid tamen in hoc genere apponitur etiamnum insolens, atque exquisiti saporis, rursum juvenescere mihi videor, neque tene re me possum, quin illud omne vorem cupidissime. Id autem tale esse, & Scriptoris notissimi fama, & antecpta quædam opinio de ingenio, doctrinaque ipsius, & quod de nique abs te hæc mihi porrigeretur dapes, persuadebat. Aviditati respondit voluptas tan ta, quantam consequi verbis haud facile pos-

F 4

sim. Itaque ut acuitur gustus suavitate cibi; quæ me cursim libata delectaverant, eadem placide sedateque regustavi; quæque primo placuerant, secundo perplacuerunt. Hinc de iis quid ego sentiam, etiam si nihil amplius dicam, tute intelligis. Id ego sane perfectum esse arbitror oportere, cui contingat placuisse bis, ac secundo magis quam primo. Nam quæ pretium habent mediocre, aut meræ speciei, primum fallere aspectum fortasse possunt; at curiosius insipienti, ita ut sunt apparet, ac sensim vilescant, necesse est. Habes igitur meum de Aurelii libris judicium paucissimis verbis comprehensum. Legi eos semel atque iterum: major relegendi, quam legendi voluptas fuit. Actametsi judicium hoc meum non magni esse faciendum sentio, propterea quod varium est hominum palatum; indocto autem placere multa possunt, quæ merito displiceant doctis: de eo tamen ut mihi non nihil ipse placeam, facit, quod libros eosdem a summis quoque viris prolixè laudatos reperi ad calcem secundi voluminis; quodque instar omnium mihi est, a te ipso, qui de istis rebus rectissime judicas, & laudare nihil soles, quod laude dignum non sit.

Quid quod in hac re mihi consentientem habeo virum acerrimi ingenii, ac politioribus literis exultissimum, Joannem Franciscum Albanum Cardinalem; qui, florente licet

juventa; istarum rerum experientissimus inter paucos habetur, ac porro est? Is ergo, ut solet identidem, primis se intendentibus tenebris, convenire me intra meum cubiculum, atque horas aliquot mecum per familiaria colloquia traducere (nam amplissimæ dignitati parem humanitatem, comitatemque conjungit) repertis nuper apud me binis novæ membranæ codicibus, involavit in eos rapitum suo more; ac prius etiam quam titulum exploraret: Fallor, inquit, an iste meus est Aurelius? Miranti mihi, unde rescire tam subito potuisse de Operे, quod esse recentissimum sciebam, nec dum Romæ vulgatum arbitrabar: Ego ne, subiecit, ut ignorarem *Rem-publicam Jurisconsultorum*, & *Ferias Autunnales*, duo illustria monumenta Aurelii de Januario, Scriptoris nominatissimi, mihiique amicissimi? Porrexit dehinc narrare transmissos quam maturime ad se ab ipsomet Aurelio libros fuisse. Eos ab se lectos, seu voratos potius, uno triduo. Visos autem sibi, quidvis spectaret, vere aureos, vere optimos & cum optimis quibusque comparandos. Agi argumentum cum primis grave, & ad rem publicam pertinens: at mira non solum eruditione, sed etiam venustate ac lepore tractari. Ludi perpetuam velut fabulam, eamque jucundissimam; que varietate novitateque eventuum, sententiarum, & actionis, detineat simul, eruditatque intuentium animos. Jocos passim, salesque interseri

ingenuos oppido, ac liberales. Nitorem vero linguæ tum in prosa oratione, tum in carminibus intermixtis, elucere tantum, ut nihil supra. Sic ille loquebatur. Cujus testimonium Aurelio referas velim, tum ut non deesse sibi talis approbationem viri glorieatur, tum ut sciat, de suis lucubrationibus id sentire me, quod rerum æquissimi æstimatores, doctissimum senserunt..

Jam si ex me quæras, quid potissimum sim admiratus in iis, dicam ut soleo ingenuæ, satis mihi fecisse omnia: duo tamen multis partibus superasse expectationem meam. Primum est textum omne operis, in quo Jurisprudentiæ capita quædam difficillima, & arcana multa Philosophiæ explicari video, non dicam facile sed plane per jocum, sic ut lectio nunquam satietatem afferat legenti. Evidem nusquam alibi vidi tam felici nexu junctum utili dulci, in quo Horatius bene scribendi summam constituebat. Alterum est genus eloquii purum ac simplex; in quo, ut dicam capite quod sentio, majorem sua fama scriptorem magni cæteroqui nominis reperi. Nam cum sæpe antea Aurelium yestrum de Januario aut fori oraculum celebrari, atque intersummos Legum interpretes collocari audirem, eum ego quidem rei judicariæ scientissimum consultissimumque, magna item eloquentia, magna eruditione, ac literarum copia virum arbitrabor. Ut vero scriptorem præterea exi-

stimarem adeo limatum ac tersum, obstabat consuetudo ipsa forensis, quæ (pace tua di-
xerim, Sergi clarissime, qui unus es e cau-
sidicis sane paucis, non nervose solum, sed
etiam ornate scribentibus) jamdiu latini ser-
monis elegantiam omnem ac venustatem cor-
rupit. Quo magis lætor, atque idem miror,
hunc in tam diuturna exercitatione Fori, ne-
que de forensi luto quidquam traxisse, &
stilum excolere tam feliciter potuisse.

Cæterum, si vera loqui fas est, in actio-
nibus Fori magnum hac ætate video artifi-
cium, magnam argumentationum subtilitatem
ac vim, cultum vero latinitatis nullum, aut
perexiguum. Quædam irrepserunt in publicas
tabulas portenta vocum, quæ in illomet fer-
reo ac rubiginoſo linguae expirantis ævo nun-
quam exauditæ fuerunt. Quædam usu rece-
pta sunt vocabula, quæ nihil minus sunt
quam latina. Hæc ego quoties mecum ipse
reputo, subit mirari, quid sit, quod cum
Forum cultissimi plerumque terant viri, Ro-
mæ præsertim, ubi collectum ex omni Italia,
atque adeo ex cunctis fere gentibus florem
ingeniorum video; lingue tamen culturam,
quam scriptores cæteri curare solent studiosis-
sime, ipsi negligant, ac velut in postremis
habeant. Quid quæſo est, cur nostri legu-
leii malint barbaris uti vocibus, quam lati-
nis? Cur stili genus incomtum horridumque
puro castigatoque præferunt? Scio, equidem

quid respondeant aliqui. Nam multos ego met super hoc negotio interrogavi non semel. In agendis causis momenta rationum valere, inquiunt, non sermonis flosculos, non delectum verborum, quod ubi dixerunt, Horatianum illud oggerunt,

Seçantem levia nervi deficiunt, animique.

Ita sane. Atqui ego non levia esse consestanda pronuncio, cum abjiciendam suadeo barbariem. Non enim id postulo, ut comta, ut pulchre calamistrata oratio sit, qua judiciales conficiuntur tabulæ, sed tantum ut latina. Neque hercle video, quid rationum robori detrahatur justus latinitatis nitor, nisi forte minus aptus ad feriendum existimari debeat gladius, propterea quod perpolitus probe lucidusque sit.

Alii, ne emendate scribant, legentium excusant inscitiam. Serviendum dicitant commoditati Judicum. Hos rerum difficultatibus satis superque implicitos, verborum præterea laqueis irtetiri non oportere. Sic isti, ut speciem necessitatis imponant suæ vel impetratæ, vel ignaviæ. Quæ tamen cumque obtendant, quam rejicere in alios conatur cnpam, ipsi sustinent. Namque, ut omittam, non facile repertum iri, saltem hic Romæ, quempiam juri dicendo præpositum, qui non latine plusquam mediocriter sciat; ego sic existimo, legentium commoditati non adver-

sari puritatem eloquii, sed favere potius; modo ne longe querantur phrases, nec reconditora quædam ex Ennio, aut Pacuvio petantur vocabula. Sane, ut exemplo utar familiari, Q. Curtium, Cornelium Nepotem, aliosque similes prisci ævi scriptores, etiam si latinissimi sint, pueri ipsi e grammaticæ sa- lebris nondum egressi, intelligunt non incommodo. Contra forenses tabulæ cujusmodi multæ profendeunt, doctissimos quosque torquent interdum, indigentque explanatore & interprete. Adeo constructio atque ordinatio verborum implexa, verba ipsa jam redundantia, jam ancipitia, sententiae aut male inter se colligatae, aut plus nimio suspensæ ac circumductæ inveniuntur. Quod si qui tamen assurgere supra communem usum volunt, ii peccant gravius; quia dum Tullianam affectant elegantiam, relicto illo, de quo dicebam, Curtii, aut Nepotis stilo medio planoque, obscurissimi fiunt; quod vitium orationis est omnium deterrium.

Unum ergo est, quod excusare vere possint, tœdium laboris, ac limæ, quam sane multam & accuratam decens scripture nitor postulat. Hoc plerosque legulejorum absterret, ne ita, uti dicebam, scribere instituant. Et vero, ut aliquid ego etiam ipsis ex Horatio reponam,

Dificile est proprie communia dicere.

Sic autem orationem contexere, ut simul castigata, nervosa, perspicua, facilisque captu sit, ac per se fluere videatur, difficillimum. Difficillimum, inquam, non desperandum tamen, si adhibeatur industria. Exemplo esse potest, si desint cætera, Aurelius noster; qui licet in forensi palæstra diu, multumque exercitatus, latini scriptoris numeros omnes ac partes implet.

Sed quo me sermonis contextus nihil tale cogitantem abstraxit? Longius a proposito evagatus, jam redeo ad te mi Sergi: ac primum omnium rogo te atque obsecro, ut pro eo quanti me facis, hæc ne cuiquam mortaliū communices. Vereor quippe ne, si emitantur in publicum, succenseant mili rabulae, quam nationem audio esse numero, opinibusque prævalidam; quodque mente non malæ dixi, in malam partem accipient. Illud deinde magnopere a te peto, ut Aurelium salutes meis verbis; quidque ego sentiam de ipsius scriptis, facias certiorem. Fac præterea sciat, esse me addictissimum ei, non tam ob similitudinem studiorum, quæ, uti dicebam, valere jam pridem jussi; quam quod homo est, nisi omnia me fallunt, quales omnes esse homines, ac me ipsum velim, præstanti ingenio, singulari doctrina, apertus, liber, quam alients ab inferenda cuiquam injuria, tam impatiens injuriarum, quæ publicæ inferuntur rei: qui denique & multum videat in

JO. ANTONIO SERGIO. 95

vitiis hominum , nec censuram ab iis , cum
usus poscit , abstineat cujusquam gratia , vel
metu . Hæc quidem certe ego de Aurelio haud
male colligere mihi video ex ipsius libris :
neque tu nescis , in uniuscujusque scriptis ,
velut in speculo , elucere scriptoris animum ,
atque indolem . Cæterum ad te quod attinet ,
Sergi , pro certo habeto , me pro his libris
debere tibi plurimum ; plus debitum , si
efficies , ut in societatem amicitiae , quæ tibi
cum Aurelio maxima est , adsciscar . Vale .

Romæ III. Idus Februarias

MDCCLIII.

JULII CÆSARIS
CORDARÆ S. J.

AD GAJVM SALMORIUM

SERMONES

Summa fide ad Authographum exacti,
et selectis Enarrationibus illustrati.

SUSPICIONE . SI . QUIS . ERRABIT . SUA
 ET . RAPIAT . AD . SE . QUOD . EST . COMMUNE . OMNIUM
 STULTE . NUDABIT . ANIMI . CONSCIENTIAM
 HUIC . EXCUSATUM . ME . VELIM . NIHILominus
 NEQUE . ENIM . NOTARE . SINGULOS . MENS . EST . MIHI
 VERUM . IPSAM . VITAM . ET . MORES . HOMINUM . OSTENDERE .

Phaed. Fab. I. lib. III.

T Y P O G R A P H U S

LECTORI.

Si forte Graeculus es, ex eorum numero, quo~~s~~ au~~c~~t~~o~~r noster sale aliquo & aceto perfri-
 cando~~s~~ censuit, quaeso, ut benevole excipias,
 quod ~~tu~~ animo medendi propino. Sin vero
 de litteris, ac de te ipse sentis, uti debes,
 impendio magis gratum habe; quod do, ani-
 mo gratificandi. Quicumque tandem sies, aut
 utilitatis aliquid, aut voluptatis hinc hau-
 ries, mihi~~que~~ gratias habebis, cuias opera te-
 nes, unde possis aut melior fieri, aut hil-
 rior.

Habes enim exquisitissimos, nunc primum
 omnes, IULII CAESARIS CORDARAE SERMONES,
 quo eos nomine au~~c~~t~~o~~r ipse inscribi maluit,
 quam vulgato L. SECTANI Q. F. SATYRAE,

G 2

quem ipse titulum subinvisum improbavit. Horum occasio, argumentum, atque fama in Commentario de eius vita & scriptis, quem tute legis volumine primo, a pagina decima octava usque ad trigesimam, ita nitide explicantur, ut iis contentus utique esse possit.

ENARRATIONES autem, quae huic editioni sunt adjectae, ne intermortuae rerum temporum, & personarum memoriae quidquam facis non affulgeat, eas studio FRANCISCI CARRARAE BERGOMENSIS deberi scias, qui in colligendis undique, atque etiam explicandis sodalis amicissimi scriptis operam nobis suam impensisime navavit. Nos vero ex eius penulione refertissima eum delectum habendum esse duximus, quo Lectori Philomuso opem, quam poscebat, non invidiam aut saturitatetem attulisse videamur. His fruere, atque bene, & diu vale.



DE GRAECULORUM SUI TEMPORIS LITERATURA.

SERMO PRIMUS.

Non, qualem me, Salmori, paulo ante solebas
Adfari, timidusque verecundusque, sed audax,
Arduus, & Duce Ventorum imperiosior adsum.
Heus Tu, discede ad laevam, pronusque, rotundam
5 Tonsuram ut videam, dic nobis rite salutem:
Nec nimis adcedere, & paullum sta gibbus, & ambas
Demitte auriculas, verbisque precantibus uti
Adsuesce, a veteri si quidquam poscis amico.

ENARRATIONES:

Vers. i. *Salmori.* Hieronymum Lagomarsinum Jesuitam Genuensem intellige, ad quem Auctor hos sermones seripsit in florentino Jesuitarum collegio rhetoricae, poeticaeque tunc insignem doctorem, scriptorem mitidissimum, de republica litteraria optime meritum.

V. 7. *Demitte auriculas.* Metaphora a jumentis, quae aures demittendo ostendunt suam defatigationem. Hor. lib. 1. Sat. 9.

v. 20:

*Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus,
Cum gravius dorso subit onus.*

Et enim in omni jumentorum genere, ait Plin. l. 13. c. 37. indicia animi praefuerunt aures, fessis marcidæ, micantes parvidis, subrictæ furenibus, resolntæ aegris.

- Miraris? Rides? atqui non me malus aura
 10 Jupiter adflavit furiali, & sulphure diro:
 Nec lunae ad radium mens est emota, nec illuc
 Migravit (quod ego scierim) pars optima nostri
 Quo res amissae coeunt; ubi plurima quondam
 Inventa est liquidi custos ampulla cerebri.
 15 Et valui, & valeo. Quod si haec insania dici
 Debet, amabilior nulla est Sapientia; malo
 Desipere hoc pacto: fias utcumque beatus,
 Optandum ut fias, sunt & deliria tanti.
 Quid causae est igitur, cur sim mutatus ab illo,
 20 Qui tecum nuper lusus miscere solebam
 Innocuos, tecum & labentes condere soles,
 Tecum aegri curas animi partirier? Unde
 Tam cita majestas? Unde haec frons plena minarum,
 Atque supercilii nimbus? Fuit ille ferendus
 25 Usus amicitiae, dum par fortuna sinebat.
 At nunc distamus nimium: piget usque deorsum
 Despicere, & pumilum vix internoscere amicum.
 Pyramis aërio quae vertice celsa minatur
 Flaminiae, & dominam despectat desuper Urbem,
 30 Num metam exilem dignatur, mole pusilla
 Agrippae ingentes quae sistitur ante Columnas,
 Et tenuem praebet betas vendentibus umbram;
 Sint quamquam exsectae scopulis communibus ambae;

V. 13. *Quo res amissae coeunt.* Notum Ludovici Areosti commentum de rebus amissis in Lunam translatis. Cantico 34.

V. 28. *Pyramis aërio.* Sunt duae Romae Pyramides, quarum altera procerrima ad portam Flaminiam (*Piazza del popolo*) sira est, altera perexigua in foro Agrippae, sive ante porticum aedis Pantheon (*la Rotonda*) a Clemente XI, ex praecellissima Albanorum familia, erecta, ubi olera vendi solent.

- Cognataeque iisdem Pharaonibus? En etiam Tu
 35 Repis humi, veluti limax, viridisque lacerta,
 Rhetorem agens vernam: manibus Cicerunculus haeret
 Semper, & adritus nocturno, idemque diurno
 Pollice Virgilius; nec quidquam grande minaris
 Praeterea, aut istis emergere sordibus audes;
 40 Illa contentus sparta, quod pendeat ore
 Grex cirratorum, Musasque procare Sorores,
 Te lenone, velit. Felix, si denique macram
 Extuderis Chriam, aut glabro recitanda puello
 Carmina privato quae rara corona residens
 45 Audiat hemicyclo, & laudet forte unus & alter
 Aequior. En merces studiorum, & ventris aquosi
 Pallidulaeque genae! ut tibi fama domestica plaudat,
-

V. 34. *iisdem Pharaonibus.* Ambae Pyramides ex marmore aegyptio, atque ex Aegypto Romanam translatas. Pyramidum historiam olim illustravit P. Kircherius S. J. Opere inscripto *de Obelisco Pamphilio:* novissime vero Cl. Zoega *de Obeliscis opus edidit* Romae: doctum, Juppiter! & bene expolitum.

V. 35. *viridisque lacerta.* Lacerta viridis italice *Ramarro*,
Q. Sectanus, Sat. X. v. 137.
Et nidos fecere avibus, viridique lacertae,

V. 40. *Illa contentus. Sparta.* Proverbium graecum apud Ciceronem ad Atticum Ep. 6. *Spartam, quam natus es, hanc ornas:* quo significatur in id incumbendum, quod eligimus, officiumque nostrum strenue obeundum,

V. 41. *Grex cirratorum.* *Cirrati (ricciutelli) pueri dicuntur* praeципue, qui scholam frequentant. Hinc Persius Sat. I. v. 29.
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nibilo pendas?

V. 42. *Lenone.* Hic pro Magistro adolescentium mehtes leniente.

- Teque breves noscant, admirenturque Penates.
 At nos interea, a puppi spirantibus Euris,
 50 Egressi portu; & praeter spatia ultima vecii,
 Immensus volucri cymba transnavimus aequor:
 Victurique adeo post tetram funeris horam,
 Et fato & cineri medium porrexiimus nnguem.
 Consulimur, responsa damus: nec Pythia tanto
 55 Concursu est hominum circumstipata, furentem
 Cum quateret stimulis unde unde intrusus Apollo.
 Denique quam late Doctorum publica se se
 Res aperit (quid habet porro haec spatiiosius actas?)
 Regnamus, magni princeps Persona Theatri.
- 60 Quodque magis mirere, anno nos amplius uno,
 Et minimo sudore, & amico abdomen salvo,
 Hunc apicem, haec nos adtigimus subsellia. Tanti
 Refert scire viam, quae per compendia dicit.
 Hae olim intentata, & avis ignota, velut qua
 65 Itur ad auroram, & fuscos modo Cercopithecos,
 Hercule posthabito: paucos ideo Jovianos,

V. 65. *Cercopithecos*. Intellige simias cum cauda (gattomam-mone). Haec animalia inter alia monstra adorabant Aegyptii, de quibus Juv. Sat. 15. v. 4.
Effigies sacri ritet aurea Cercopitheci.

V. 66. *Hercule posthabito*. Hoc est: columnis Herculis posthabitatis. Porro columnae Herculis sunt duo montes ad fretum Gadiratum in regione Africæ, qui procul spectantibus columnarum speciem præbent. Herculi sacrati sunt, quia eo usque laboribus suis orbem peragrasse fertur. Hic tamen intelligi potest *virtute relata*, Graeculorum more, scientiarum superficiem posthabito labore quaerentium.

Ibid. *paucos ideo Jovianos*. Leonis X aetatem significat, in qua *Jovianus Pontanus*, *Syncerus Sannazarius*, & *Hieronymus*

- Paucos Sýnceros Leo computat; unicum & illum;
 Ulcera qui jussit castas traetare Camoenas,
 Dum vada Benaci dulci Siphillide mulcit.
- 70 At nunc, Murrano pridem praeente Columbo,
 Est multis inventa: minus patet Appia, nec tot
 Adteritur soleis: fruticantes inde videmus
 Fungorum in morem Sapientes: plena Poëtis
 Oppida cuncta: Sephos, Oratores, Geometras
- 75 Ausoniae fundunt urbes, vicique Latini:
 Eluvie numquam sicca; venaque perenni:
 Ut nec agonalis videat tot oluscula Circus,
 Aggere nec tanto cinarae cumulentur, ubi asse
 Vicehae prostant; nec tot simul Appula muscas

*mus Fracastorius eximii poetae floruerunt, quorum postremus
 Poema conscripsit Sypholidis inscriptum, seu de morbo gal-
 lico ad Petrum Bembum.*

V. 70. *At nunc Murrano pridem praeente Columbo.* Significa-
 tur Dominicus Lazzarinus a Murro, (*Morro Valle*) in di-
 tione Maceratensi, graecarum, latinarumque litterarum in Pa-
 tavino Gymnasio Professor. Hunc literatum quidem virum,
 sed nimis fortasse sibi plaudentem, & Scriptoribus Societatis
 Jesu temere insensum; poëta præcipue insectatur, eumque,
 cuiusdam orbis detectorem, alterum *Christopborum Columbum*
 salse adpellat.

V. 71. *Minus patet Appia.* Via latis, altisque strata lapidibus
 ab Appio Claudio Cos., Roma per portam Capenam (*S. Se-
 bastiano*) Brundusium usque perducta, præ aliis longior,
 unde dictum:

Appia longarum teritur Regina viatum:

V. 77. *Ut nec Agonalis.* In foro Agonali, (*Piazza Navona*)
 olera vendi solent. Porro illud est amplissimum, ubi apud
 Romanos celebrati solebant quotannis festa in honorem Ago-
 nii Dei, qui rebus agendis præcesse existimabatur, uti ex Var-
 rone lib. 5. & ex Ovid. 1. Fast. & Festo.

- 80 Arva ferant; nec tot vendat mendacia falsi
 Institor unguenti; nec tot transmiserit oreo
 Insontes animas matricula ab usque Diaulus;
 Nec tot ad immitem suspiria mittat Alexin
 Cardiacus Corydon; nec tot deliria libris
 85 Adsuerit Logicis, Physicis, aliisque Noriseus;
 Quam multos censem haec aurea saecula doctos,
 Et statua dignes, immortalique corolla.
 Quo minus admiror, si circum pulpita **vestra**
 Area lata patet, rarique in gurgite vasto
 90 Adparent nantes, & nuda ad scamna tonatis;
 Atriaque innumeris imberibus ebullire
 Visa prius, nunc moesta silent, & pulvere sordent.
 His etiam peiora time: de Gymnade fient

V. 82. *Diaulus*. Nomen Medici cuiusdam, de quo Mart. lib. 1.
 ep. 48.

Nuper erat Medicus, nunc est Vespillo Diaulus;
Quod Vespillo facit, fecerat & Medicus.

V. 84. *Cardiacus Corydon*. *Cardiacus*, stomacho male affectus,
 unde *Cardialcia*. Hic translate *amore languens*.

V. 85. *Noristus*. *Eduardum Corinium* intellige, Fanani ortum,
 quod est oppidum provinciae Frinianae in ditione ducum
 Athestinorum, ex Scholarum piarum, pauperum Dei, familiæ,
 in Accademia Pisana philosophiae professorem, quem
 poeta scriptorem putat ex iis, qui de omnibus rebus agunt,
 & de quibusdam aliis. Philosophicas institutiones in plura
 volumina distributas edidit. Ejus tamen opera, ut vere dicam,
Fastorum Atticorum inscripta, atque alia, ad antiquitatem
 quæ spectant, magni apud literatos habentur. Obiit
 Pisis ann. 1765. Vide ejus vitam ab *Angelo Fabronio* exara-
 tam, estque inter *vitas Italorum* &c. vol. 8.

V. 93. *de Gymnade fient*. De Gymnasio, unde Gymnasiarcha,
 seu princeps Gymnasii sedens in sella curuli, seu cathedra
 sublata gradibus.

Horrea; quaque sedes nunc Gymnasiarcha Curuli,
 95 Forte olim rubras calcabit Villicus uvas;
 Et Cereri, & Baccho cedet Dea Gorgone gaudens,
 Nam quis cum possit puros adtingere fontes
 Eloquii, & cano Sapientum insidere circo
 Bullatus, primaque genas lanugine tincetus;
 100 Non faciat? quis jacturam tam praepetis aevi
 Non redimat, postquam curtam expertemque pericli
 Monstravere viam Superi, nullique negatur
 Hac iter ad laurum; sit quamvis mentis obesae,
 Duraque palmari rigeat calvaria lardo?
 105 Sed ne semper humi-jaceas inglorius, & Te
 Ereclum ut possis peregrinae ostendere famae,
 Adcipe jam divinam artem, penitusque medullis
 Conde Magisterii leges ex aethere lapsi.
 Utitor inde etiam, si quid te sculpturit intus
 110 Gloriola, ingenii merces quae sola diserti.
 Sed Rullo grates age: Rullo, qui mihi primus,

V. 99. *Bullatus*. Hoc est puer. *Bulla* insigne pueris nobilibus ingenuis aureum, aut argenteum collo ante pectus suspensum, quod non in cordis formam erat, ut gonnelli, Macrobium interpretati, adfirmarunt, sed cordis effigiem sculptam habebat. *Bullas* pueri anno aetatis 16 depontentes Diis Laribus appendebant, ut nupturae virgines suas pupas. Persius Sat. 5. v. 31.

Bullaque succinctis Laribus donata pependit,

V. 111. *Sed Rullo grates age*. Vide, quibus exquisitis salibus poeta *Rullum* hic vellicet. *Rullus* nomen commentarium, quod tamen Joannes Lamius Florentinus sibi censuit aderibendum, atque irrogata sibi injuriam existimans, quasi in eum unice convenienter L. Sectani Sermones, nec praeter ipsum alii uspiam graeculi invenirentur, carmen illud emisit italicum ineptissimum sane, atque foedissimum, cui nomen *Pif-feri di Montagna*, quod censorio vehementique stylo auctor

no-

- Dux fuit erranti, calleū & monstravit amicum;
 Discutiensque bonus tenebras, lucem obtulit aliam.
 Namque ubi me primum longo post tempore vidi,
- 115 In teneros ruit amplexus, oculisque minutum
 Distillans rorem, & dilutus nectare multo,
 Oh nimium infelix, clamat, cui portio vitae
 Optima, per vigiles nequidquam insumta lucernas,
 Optatam negat usuram, & spem pascit inanem!
- 120 Quando erit, ut sapias? Tute ipse retexere debes,
 Quaeque animo increvit, penitus conradere crustam,
 Si quid amas vulgo secerni: dum mala menti
 Haerebunt, quadrupes quae semina Paedagogus
 Insevit, plena frustra expectabis aristas,
- 125 Pomaque laudandi succi, gratique saporis.
 Crede mihi, nam me pariter (luge te, Nepotes,
 Damnum infandum atrox, auctoris morte piandum)
 Credulum, & incauto sorbentem quidlibet ore,
 Decepit misere, ac duxit per devia Rhetor
- 130 Nondum barbatus: cuius me inscitia tandem
 Jejunum, & solida fraudatum fruge reliquit;
 Quamquam animus sollers esset, patiensque laboris,
 Ingeniumque ferax, & non inimicus Apollo.
 Oh frustra noctes vigilatae! oh perdita vitae
- 135 Pars melior! Raro portavi flumina cribro
 Nimirum, & steriles impressi littore sulcos.

moster jure merito diverberavit Sermone V. Certe Rullus pri-
 mam inter Graecos personam gerit, ut apud Q. Sectanum
 Philodemus, seu Joannes Vincentius Gravina.

V. 135. Raro portavi flumina cribro. Adagia italica ad signi-
 ficandam operis alicuius inutilitatem. Cavar l'acqua col cri-
 bello. Caput asini ablucere; Lunam latratibus urgere, &c.

Heic ego: Credo equidem; nam quid condiscere posset
Sinciput hoc asini studia inter sacra Minervae?

Ajebam tacitus. Verum damna illa juventae

140 (Quod bucca majore crepat) reparavimus; illi
Major & imposita est tandem structura ruinae.

DI mihi, DI faciles, quorum sandalia numquam
Incerabo satis, radio fulsere sereno,

Ut me eonligerem, & mentem ad meliora referrem,

145 Tum praeconceperas penitus dediscere nugas
Adgressus, fulvos lemniscos, bracteolasque

Damnavi, fatuosque sales, & quidquid amarunt
Et pater, & patruus, nati infelicibus annis;

Et totum ejurans nigrae rubiginis aevum,

150 Vana Magistelli risi præcepta togati.

Post ubi germen id erroris vitique revulsum est,
Involo in Augustum recta; eloquaque fluenter

V. 138. *Sinciput hoc asini.* Pars capitis anterior pro toto capite. Q. Sectanus Sat. VI. v. 153. in *Philodemum*.

Et peream, muria si non graviore fricabo

*Sinciput hoc asini, donec crux affluat, atque
Horrida detraicta fumet Calvaria pelle.*

V. 143. *Incerabo satis.* Genua Deorum incerare erat ceratis tabellis sua vota inscribere, eaque Deorum genubus affigere, Juv. Sat. 10. v. 55.

Propter quae fas est genua incerare Deorum.

V. 146. *fulvos lemniscos, bracteolasque.* Metaphorice dictum. Nasri, orpelli. Q. Sectanus Sat. X. v. 184. Philodemum graecas litteras jactantem, sibique plaudentem sic reprehendit:

Tu nomine Graeco

*Confusus nebulas oculis offundere gaudes,
Bracteolisque sonas,*

V. 152. *Involo in Augustum:* i. e. aetatem Augusti quae aurea dicta est, quod maxima tum fuerit dignitas latini sermonis.

- Ipsò e fonte bibo, & pretioso ingurgitor auro.
 Jamne vides, quanta se Majestate Vetustas
 155 Explicit illa nitens? Quae sit constantia dictis?
 Quam comtae Veneres? seu rostra Orator ihundem,
 Et torrens rapido volvatur flumine sermo:
 Ludere seu malim numeris, gracilique sonare
 Peçtine, & epotas ructare Aganippidos undas?
 160 Hujus ego laudis soli mihi debitor, & Dis:
 Nam, quod jurato vix posses credere testi,
 Ipse mihi Dux, ipse viae comes unus: egomet
 Me castigabam interdum, mihi saepius aurem
 Vellebam, reus idem, ulti, praeceptor, alumnus.
 165 Quid non Ingenio sperandum, & Numine dextro!
 O Rulle, o felix & fortunate laboris!
 Sic Te Numina ament semper, serventque beatum:
 Dic, rogo: quandoquidem primum hoc mihi rere cavendum,
 Ne monstrata prius nostros trahat orbita gressus,
 170 Quid faciam? quo veire jubes? quod consilium das?
 Nullus ad haec, crispans erectam ad grandia frontem:
 Da Tiberi propere, aut flammis quoscumque solebas
 Suspensa ex humeris pera gestare libellos,
 Alvum cum trepido tibi nola invisa cieret

V. 169. *Orbita.* Vestigia ab orbita, sive rota, in solo relicta.

Hinc Juv. Sat. 14. v. 32.

Et monstrata diu veteris trahit orbita culpas.

V. 174. *tibi nola invisa cieret.* Scholae adeundae signum, quod
 pueris aliud agentibus timorem adferre solet. Proprie *Nola*
tintinnabulum est, quod canum collo appenditur, vel fraenis
 & pectoribus equorum, sicque dicitur a *Nola* civitate, quod
 ibi primum tale instrumentum fuerit inventum; ampliato no-
 mine dicitur pro qualibet campana. Avienus Fab. VII. de
Cane mordaci.

Hunc

- 175 In mediis audit a jocis. Etiamne natabit
Tullius? aut tristi crepitabit Horatius igne?
Ardebitque iterum cum grandi Troia Marone?
Nec pius Aeneas, nec flammam evadet Iulus?
Alvarus absumatur, ait. Quem das meliorem?
180 Nam mihi deterior multo, atque obscurior ille
Carmine qui Tusco puerum inradiare professus,
Nil praeter risum & sannas huc impetrat usque
Versiculis blaesis, arentibus & monogrammis,
Quos numquam capias sine sphinge, & dicere Tuscos
185 Nemo velit, vix Italicos, planeque Sicanos.
Sunt alii tamen, omnino quos perdere debes,
Scriptores multum insulsi, multumque nocentes.
Quid praestare potest, cunctas qui codice parvo
Stipavit fandi leges, alacremque puellum
190 Rhetoricam docet ambire, & veste induit alba?

*Hunc Dominus, ne quem probitas simulata lateret,
Jusserat in rabido gutture ferre nolam.*

V. 179. *Alvarus absumatur.* Emmanuelis Alvari, Jesuitae Macerensis, de latina lingua praeclare meriti, Grammaticae artis significatur.

V. 180. *Nam mibi deterior multo.* Respexit procul dubio ad Grammaticam Claudi Lancellotti, quam *Portus Regalis* vulgaris appellat etrusce ab homine Neapolitano redditam, cuius sine interprete aut divinatore carmina illa barbara, aut etiam vere enigmatica intelligi nequeant. *Sicanos* autem auctor eos versus vocat ad significandam eam deformitatem, qua primum prodiit apud Siculos italica poesis; De qua Quadrius, Matorius, aliquie.

V. 190. *veste induit alba.* Significat libellum olim valde usitatum, qui inscribitur: *Candidatus Rhetoricae*, quo oratoriae artis elementa traduntur, auctore Francisco Pomeyo Societatis Jesu, Gallo.

- Tolle illum sodes: Unus pro mille Magistris,
 Judice me, poterit tibi Cavalcantius esse,
 Divinus plane Rhetor, cedroque linendus.
 Hunc, si vis, magni facio, inquam: quid tamen, oro,
 195 Quid peccat mundus, nitidusque Colonia, cuius
 Omnia scita ab Aristotele, & Cicerone revulsa,
 Primaevisque aliis, aureo cratere propinant
 Consulibus dignam gravitatem, artemque loquendi?
 Nil agis, ille refert; & ad haec subtemine Graeco
 200 Est opus, ut Latio valeas intexere filo
 Telam admirandam. Romana vocabula frustra
 Scrutaris, primos aperit nisi Graecia fontes.
 Proxima enim consanguinitas linguam inter utramque
 Hoc facit, ut coeant semper: de ventre prioris
 205 Prodiit haec, multumque refert de matre Pelasga,
 Estque eadem paene eccligies in dispare vultu.
 Laudo consilium, Rulle; & piget, Hercule! nunquam
 Vidiisse Euripidem, & Graii miracula Sacci.
 Quan-

V. 192. *Cavalcantius esse.* Respexit ad *Rhetoricam* satis quidem probatam, a *Bartholomeo Cavalcantio*, Florentino, italo sermone *conscriptam*, quae tamen plus artis *Rhetoricae magistris* quam *Rhetorices studiosis idonea videtur*.

V. 193. *nitidusque Colonia.* De *Dominico De Colonia Societatis Jesu*, Aquis Sextiis nato, atque *institutionum Rhetoricarum luculentu auctore*, poeta hic loquitur.

V. 199. *Subtemine Graeco.* Refellit Poeta Rulli opinionem, quod scilicet latina lingua disci nequeat absque graecae linguae cognitione, sive absque *subtemine Graeco*. *Trama Greca*.

V. 201. In Edit. Pseudo-Genevensi legitur sic:
*Telam admirandam, vel versicolore lapillo
 Incertum musivum, emblemaque vermiculatum.*
Proxima enim.

V. 208. *Vidiisse Euripidem, & Graii miracula Sacci.* *Euripi-
 dem*

Quandoquidem vero praeognanti fluxit ab alpha
 210 Lingua Remi; cur formosam mihi jungere natam
 Non liceat, nisi mater anus consentiat, & ni
 Flammeolum taedasque paret? Num nomina rerum
 Scire vedor, nisi qua fuerint radice revulsa
 Callidus explorem; & genesis mihi tota patescat
 215 Tuberis, & caulis, pulsantis & ilia porri?
 Ille etiam sermo vernaculus & popularis,
 Quem nos edocuit sugentes ubera nutrix
 Tuscula, somnifori longa inter taedia lalli,
 Ille, inquam, linguæ se de matrice Latinae
 220 Natum ait, ut puto scis, aviaque superbit Achaea:
 Illum & abortivo tunc fudit adultera partu
 Ausonia, hirsutos quom primum amplexa Gelonos,
 Braccatosque alios, audire exoticæ verba, &

dem laudat tragicum poetam Atheniensem, & Sophoclem
 Graecorum Tragorum principem, qui tanta orationis sua-
 vitate fuit, ut vulgo μέλιττα, hoc est Apis cognominaretur.

V. 215. *Tuberis et caulis.* Quid juvat scire a qua radice no-
mina rerum oborta sint? nominat autem hic aliquot herba-
rum genera, quarum genesim scire supervacaneū est.

V. 216. *Ille etiam sermo.* En. Auctoris ratiocinium. Sicuti ex
Graeca ortum duxit lingua latina, ita ex latina duxit italicam,
Si ergo potes optime callere italicam, ignorans latinam,
cur non possis callere latinam, ignorans graecam?

V. 218. *inter taedia lalli.* Sive inter nutrices pueris naeniam
cantillantes ad somnum conciliandum. Ausonius:
Nutricis inter lemmata, lallique somniferos modos.
Hinc lallare apud Persium Satyra 3.

V. 223. *Braccatosque alios.* Barbaros, qui longioribus brac-
ciis utuntur, orientalium more, intellige. *Exotica:* verba pere-
grina, & quasi a nostris autibus aliena.

TOM. III.

H

- Non intellectus didicit parere Tyranno.
- 225 Quod tamen indigenae possit Deus esse loquelae
 Italus, ut nunquam paradigmata Grammaticorum
 Viderit, & Musam non declinaverit; ille
 Exemplo esse potest, qui de Tonsore Poëta
 Furfure in Etrusco censemur idoneus auctor,
- 230 Donatus glossa jamdudum & margine lata:
 Nec minus exemplo est parvus cum patre bubulco
 Pastor, legitimas qui frangit gutture voces,
 Dum pecus increpitat, vicinum & cogit ad Arnum.
 Mihi satis est igitur, possim si promere voces,
- 235 Quas Crispus, Liviusque suas non pejeret, & quas
 Lividulus censor non ausit rodere: Vocab
 Tu genus & proavos primo scrutabere ab ovo,
 Si vacat; Aeolas & crucies Doresve licebit,
 Scilicet ut spuriae constet tibi vocis origo;
- 240 Grande operae pretium: quin, si res postulat, aude

V. 226. *Paradigmata*. Seu comparationes, aut exempla facti,
 vel dicti alicujus.

V. 228. *qui de Tonsore poeta*. *Burchiellum* significare voluit
 poeta, tonsorem, & indoctum Florentinum, in cuius Etrus-
 cos Hendecasyllabos prodire eruditae Antonii Papinii enar-
 rationes. Porro *Burchiellus* a Florentinis Academicis *della*
Crusca, classicus censetur auctor.

V. 232. *frangit gutture voces*. Respergit ad Florentinorum usi-
 tatam pronunciationem, quae vulgo *Gorgia* appellatur.

V. 238. *Aeolas & crucies*. Quamvis una Graecorum lingua,
 quatuor tamen inter eos dialecti, *Dorica*, *Aeolica*, *Jonica*,
 & *Attica*, quae postrema primas tenuit, eaque usi sunt *De-*
mosthenes, & *Aristophanes*, ut *Dorica Thucyridus*, & *Pindar-*
rus, *Jonica Hippocrates*, & *Herodotus*. *Aeolicam* pro re na-
 ta, aut carminis lege insperserunt.

Visere Graecorum attegias , & nomine magno
Gaudentes inopum nidos : ibi plurima disces
Quis fies magnus conducendusque Magister ,
Inter & insignes dignissimus incola Iones.

- 245 Haec ego: sed quoddam in verbis cacosynteton esse
Inclamat Rullus , pia quod fastidiat auris ,
Offensusque malo nasum conrugat odore:
Nec stomachum tenet ; at rubicundam sanguine & igni
Contorquens aciem , & totis pulmonibus ecclans
250 Fulmineam bilem: Te ne isto marmore frontis ,
Tene ullis herbis , aut ullo posse juvari
Fomento , egregiam Medici miserantis opem qui
Negligis , & mordes praebentem pharmaca dextram ,
Delirans , amens , atque insanabilis aeger ?
255 Ergo apage ; & sine rivali placeas tibi , teque
Solus ames: jam non operam sumemus ianem ,
Quin placito magis atque magis marcore putrescas ,
Foedaque adulanti detergas ulcera lingua .

V. 241. *Graecorum attegias . Tuguris , mapalia . Juv. Sat. 14.*

v. 196.

Dirue Maurorum attegias .

V. 243. *Conducendusque . Prima praeceptoris munera exercens .*
Juv. Sat. 2. v. 113.

*tarum , ac memorabile magni
Gutturis exemplum , conducendusque magister .*

V. 244. *incola Iones . Apud Ioniam populos , unde lingua Ioni-
ca , fies magnus magister . Sed est quaedam in conjunctione ,
& ellipsi hatum vocum cacophonia Italica satis nota , quae
Rullo stomachum movit .*

V. 247. *Corrugat odore . Quod est fastidientis , atque nau-
seantis .*

Esse verecundum & docilem super omnia Alumnum
 260 Praecipio, mollique admittere dogmata cera,
 Si rem sanus agit. Viden ut Gallus Cithisusque,
 Felices animae, & natae laetantibus astris,
 Me dicente silent, & acutis auribus adstant,
 Nec tussire audent, nec deglutire salivam,
 265 Nec nivere oculis? Ideo gratissima Phoebo
 Jam mandunt folia; & quoties simul Arcades omnes
 Convenere, sedent in prima parte Theatri.
 Jamque vale; de me posthac ne quaere: Putabis
 Depositum, aut nostros, si mavis, ductum ad Jones.
 270 Sic ait, iratusque, & caeco turbidus aestu,
 Multa dolens probrum, & nostrae argumenta phrenesis,
 Terga dedit; nec jam ex illo me occidit ut ante
 Grandibus adloquiis, laudum & clangore suarum,
 Ampullisque meris. Vos me servastis Jones.

V. 261. *Viden ut Gallus Cithisusque.* Duos numerat Rulli clientulos, atque discipulos, quos ille ad novum litteraturae genus instituat.

V. 265. *Nec nivere oculis.* Nec oculos movere, juxta illud Virgilii: intentique ova tenebant. Proprie nivere, est oculos non omnino, sed paene clausos habere, ut paetae puellae solent, dum videntes non videre videri volunt.

V. 274. *Ampullisque meris.* Ampullis, hoc est verbis sesquipedallibus, atque arrogantem jactationem sonantibus: *Smaragiassate.* Hor. Art. poet. 97. *Projicit ampullas.*

DE GRAECULORUM
SUI TEMPORIS LITERATURA.

SERMO SECUNDUS.

Sic igitur statuas, Salmori, ex omnibus esse hoc
Grande rudimentum, ut vetus & laudata tot annis
Discendi ratio nigro carbone notetur;
Nullaque Gymnasii sit jam reverentia cani.
5 Praecipit hoc primum sectae Bagnarius auctor,
Hoc recitat teneris ante alpha & beta Puellis
Orbilius, mire Juvenes formare protervos
Doctus, idem & poscit jurari a simplice turba;
Hoc demum quicumque placet sibi nomine docti
10 Postulat, atque inter fatalia dicit habendum.
Sic est: Emeritos contra ferat arma Magistros,

ENARRATIONES.

Vers. 5. *Bagnanius auctor.* Indicatur *Dominicus Lazzarinus*,
de quo in superiori sermone v. 70; contra quem prodit olim
libellus inscriptus *Bagnarius Paedagogus ad scholam revoca-*
tus. Nominis causas non vacat inquirere.

V. 7. *Orbilius.* Nomen fictitium. Fuit tamen *Orbilius* quidam
Beneventanus Grammaticus, *Horatii Flacci* in pueritia pre-
ceptor, quem, ob nimiam in pueros saevitiam, plagosum
vocat l. 2. ep. 1. v. 70. De eo etiam *Domitius Marsus*:

Si quis Orbilius ferula, scuticaque ceridit.

- Qui modo vult dici sapiens: Ex hoste probari,
 Et magnis inimicitiis clarescere, notum est,
 Et vetus: Hoc multis aditum patefecit ad astra.
- 15 Quidni etiam facias? Pronum est eversa crepare
 Jura, dolo abreptos juvenes, fractam gravitatem
 Eloquii, fatuis spurcata elementa rubricis,
 Et totum innumeris vitiatum pestibus aevum.
 Haec quantum potes, ut clamosum Stentora vincas,
- 20 Testare intrepidus: sed & illos saepe vocabis
 Delicias hominum atque tuas, mediisque locandas
 Divorum Ordinibus, quos quingentesima vedit
 Caelicolis dilecta aetas, purique metalli,
 Prima renascenti quae praebuit ubera linguae.
- 25 Qui vir, &c., oh superi! quantus Victorius! At ne
 Naugerium spernas. Major sed Bembus utroque.
 Oh ubi Castilio, Sadoletus, Molsa, Faernus!
 Varchius addatur, geminusque Manutius, & qui
 Propter Castalides ad lilia fulva vocatas,

V. 17. *elementa rubricis*. Hoc est, majorum regulis, ac legibus. Metonymice *rubrica* est inscriptio, seu titulus earum rerum, quae in legibus infra scriptis continentur.

V. 19. *clamosum Stentora vincas*. Stentor fuit in Graecorum exercitu apud Homerum Iliad. 5. 785. voce adeo immani, ut quinquaginta simul vociferantium clamorem vinceret. Juv. Sat. 13. 112.

Tu miser exclamas, ut Stentore vincere possis.
 Inde proverbium: *Stentore clamosior.*

V. 25. *Qui vir*. Recensentur hic aliquot scriptores celeberrimi, qui saeculo XVI. floruere, quod saeculum vulgo dicitur quingentesimum.

V. 29. *Propter Castalides*. Notum est quales inimicitias exeruerint, ac scriptis plurimis hostilem in modum decertarint

An.

- 30 Certavere odiis, quae forte Vatinius ipse
 Diceret immodica. Indiculus tibi proderit horum,
 Quos fronte & titulo non est res ardua nosse.
 Hos solos sapere, huic auro decadere dices,
 Scriptorum quae mox successit ahenea proles:
 35 Hos usque obtrudes laudans per fasque nefasque.
 Hoc bene si praestas, & frons tibi sufficit, & vox;
 Monstrarri digito multa inter millia tento
 Paullatim incipies; tantam & mercabere famam
 Exiguo hoc pretio, quantam Culicamus abactis
 40 Jami saepe Odrysiis, & caudis mille superbus.
 Nec tamen intererit, si, quorum nomina laudas,
 Scripta male affectes, geniumque imiteris inceptus.
 Si qua tibi Italice scribenda est Concio, non est
 Cur sis sollicitus de corpore luminibusque,
 45 Et numero, & nervis, atque ordine: Summa laboris
 Haec tibi erit, passim ut glomerentur nomine in uno

*Annibal Carus, & Ludovicus Castelvitrinus, ob quandam per-
 vulgatam cantiunculam:
 Venito all'ombra d' be' gigli d' oro:*

V. 30. *Vatinius ipse.* Vatinius civis Romanus contaminatissimae
 vitae. In hunc tam acerbe Cicero invectus est, ut patefa-
 etis ejus flagitiis in summum Romani Populi odium pervene-
 rit. Hinc factus locus proverbio, ut *Vatinianum odium pro*
capitali & implacabili inimicitia accipiatur.

V. 37. *Monstrarri digito.* Persius Sat. 1. 28.
At pulchrum est digito monstrari, & dicier: hic est.

V. 39. *quantam Culicamus.* Celeberrimus illa aetate Persarum
 Imperator, qui ex Tureis, quorum est militare insigne cauda
 equina, saepenumero triumphavit.

V. 46. *Haec tibi erit.* Hoc maxime curant, qui saeculi XVI.

- Tres saltem voces, sed frivolae idemque sonantes;
 Semper & extremo respiret pagina verbo.
 Hoc satis, ut vetulum dicaris habere saporem
 50 Felicis venae, Galateus & exeat alter.
 Oh Casa, semper adorandum mihi nomen, & unus
 Quem paveat merito facundia tota Nepotum:
 Agnoscisne istos, qui te patremque ducemque
 Saepe vocant, queis nulla placent, nisi rancida verba,
 55 Quae vetat, expungitque usus fandi arbiter, & quae
 Tu quoque respueres, credo, hac aetate, reverti
 Si posses iterum nostrae ad commercia vitae?
 Anne tuus sermo sine succo & sanguine, frigens,
 Flaccidus, exanimis, qualem nunc audio? Ubi vis,
 60 Et color, & nitor ille tuus, numerusque per aures
 Leniter inlabens, ima & praecordia quaerens?
 Sic jam res agitur. Sententia cognita lippis,

stylum inepte aemulantur sermone italo, ut multa adglomarent epitheta, & verbum substantivum in periodi fiuem rejiciant.

V. 47. In edit. Pseudo-Genev. legitur sic:

sonantes,
Quies veluti tunicis casueros arceat imbres,
Semper & extremo re.

V. 50. Galateus & exeat alter. Titulus libri elegantissimi de Urbanis Officiis auctore Joanne de la Casa Florentino, Be-neventano Archiepiscopo, Oratore ac Poeta eximio.

V. 62. *Sic jam res agitur.* Describitur inanis illa verborum prolixitas, qua Graeculorum orationes scatere solent, allegoria petita a solemni pompa, qua Ven. Sacramentum per porticus Vaticanae Basilicae, aulaeis Raphaelis Sanctii Urbinatis exornatas, quotannis circumfertur.

- E medio conlecta foro , madidave taberna,
 Dicitur in gyrum , qnatum vix porticus ambit ;
 65 Pro Vaticano quae curvat brachia Petro .
 Hinc atque hinc longo cariosa vocabula textu ,
 Particulis multis consuta , & nexibus uncis ,
 Aulaea , & telas imitantur versicolores ,
 Per quas magnifico incessu transire jubetur .
 70 Dum graditur lente , tumidos fricat alter ocellos ,
 Alter hiat , scapulas est qui contorqueat ambas ,
 Alternetque natem ; ronchissat maxima pars e
 Consessu , frontemque plicat : Recitator anhelat
 Jam decies , pergit tamen ultra , & stipticus udas .
 75 Guttatim ejeciat voces : quid denique ? Post tot
 Circuitus exit , quod *Roma est Tibure major :*

V. 63. *madidaque taberna* . Ex croupona , quae ideo madida ,
 quod inde vino madidi prosiliant compotores .

V. 66. *cariosa vocabula* . Obsoleta , & quasi carie corrossa .
 Ovid. 2. Amor .
 *Cariosa senectus* .

V. 68. *Aulaea* . Arazzi , tapezzerie ; ab Aula Attali Asiae Regis , in qua primum vela picturata , & versicolori textura spectabilia inventa sunt , quibus parietes obteguntur . Propert. eleg. 2.

Nobilis aulaeis porticus attalicis .

V. 74. *Stipticus* . Stitico , seccante . Plin. lib. 24. c. 13. Inter medicamenta stiptica nibil efficacius radice rubi mora ferentis .

V. 75. *Guttatim ejeciat voces* . Describit Oratorem Graeculum , vel lente dicentem , vel ex nimio dicendi impetu auditorum faciem sputo irrorantem .

V. 76. *quod Roma est Tibure major* . Tibur urbs parva Cam-
 pa.

Quippe novum, atque ingens, tanto & conamine dignum.

Volvitur inde parem similis vesica per orbem;

Post alia; extremo donec concludit hiatu,

80 *Dicebam*. Superi! grates: sed de aggere tanto
Verborum, quota particula est, quam tollere velles?
Quantulum & illud erit, quo fias doctior hausto?

Ut jam pexa nimis, calamistro ambustaque saevo
Pagina, hil praeter fucum, gerrasque meracas

85 Porrigat, & levibus placitura crepundia Pupis.
Sic operosa dies instat noctesque labori,
Fila trahens retrahensque, & totam dissipat alvum,
Cassibus aëreis ut captet aranea muscam.

Et tamen hoc bene qui faciat, licet usque patentes

paniae Romanae in confin. Sabinorum: a Tibure Tiburtes &
Tiburtini. Illud Horatii dici posset *De Arte poet.* v. 138.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Parturient montes; nascetur ridiculus mus.

V. 80. *Dicebam*. Hac voce suas plerique orationes claudunt,
quibus distycon illud cujusdam aptandum censeo:

Omnia cum dixi, superest tibi dicere, dixi:

Haec mihi sermonis vox placet una tuis.

V. 84. *gerrasque meracas*. Hoc est vanissimas, puras, ac me-
ras nugas.

V. 85. & *levibus placitura crepundia Pupis*. Intellige reculas
(giocarelli), quae puellis dari solent, ornatus, ludique
caussa. *Duplex nobis est pupa*: alia est inter puellarum cre-
pundia, pupazzia; alia inter foeminarum seria, quam ut Q.
Sectani verbis utar Sat. 17. v. 133.

Gallia mittit

Sedula nugarum cultrix, atque arbitra luxus.

Scilicet archetypas illas comendi capitis, rotiusque corporis
vestiendi ornandique arbitras, & modestiae gravitatisque Ita-
licae corrupcices pupas.

- 90 Adspiciat fauces. & rorichos audiat, ut qui
 Multum dicendo nil conficit; ille Casinum
 Suspendit naso, poscitque ut vapulet ingens
 Segnerus, & quidquid laudati est nominis usquam.
 Nil miserans, proscriptibit, habens discrimine eodem
 95 Si purum putumque Casam, quem diligit unum,
 Non oleat: tantum ille Casae tamen aequiparandus,
 Quantum homini Verves. Adeo est imitatio Summi
 Difficilis. Vitium magna exemplaria majus
 Saepe ferunt, si cor desit; minus & mediocri
 100 Crimen ab archetypo communi ducitur usu.
 Tunc etiam, natura Parens quom fingere mirum
 Aggressa est nimiumque animal, quod limite solo
 MENTIS ab humana distaret imagine, nata est
 Scurra ferox, pygas ostendens Simia calvas,
 105 E Mauritano foedissima bellua saltu.
 Quorsum haec? Non ut proposito moveare, sed artem
 Ut teneas, cuius summa est imponere; nec jam
 Virtutem quaeras, vanam virtutis at umbram.
 Nam quae Relligio, quom falli gaudeat aetas,
 110 Et pretium referat magni impostura laboris?
 Tempus erat, solido quom starent marmore Templa,

V. 91. *Ille Casinum*, Card. Casinum nempe ex Capucinorum fa-
 milia, & Paulum Segnerum e Soc. Jesu praestantes Oratores.

V. 102. *nimiumque animal*; Simia, qua nullum animal homini
 similius, nullum fortasse deformius.

V. 106. *Quorsum haec?* Diversa impostorum genera reconset
 auctor, atque insectatur.

V. 111. *Tempus erat*. Marmora diversi generis adnumerantur
 ex Lycaonia, ex Paro, Aegei insula, atque ex Aegypto
 Ro.

- Et Thermae, & Circi, & ferientes astra Colossi:
Oebaliam, niveamque Parum, & Nilotica rura
Vertebat cuncis Romanus fossor adactis :
- 115 Scilicet ut grandem mons integer iret in urnam,
Unaque dissecto traheretur Pyramis arvo..
At nunc securis eadem prope marmora venis,
Multiplicata vides; conciso e rudere quando
Fiunt pagellae, quales quom præbet avarus
- 120 Parmensem, aut siccum natis poscentibus armum:
Queis apte inter se junctis, viscoque tenaci
Compactis, augentur opes, disruptaque Galbae
Tibia sublimem potis est vestire columnam,
Et de dimidio fit nobilis ara Nerone .
- 125 Haec tamen artificis laudant mendacia dextræ
Romulidat, & gaudent tunicato pariete, quantum
Si victura iterum starent Capitolia . Tanti est
Vana superficies, quom solus judicat unguis
Aut oculus . De litterulis quid sentiat hic, aut
- 130 Ille, quibus rectam dederunt bona Numina mentem,
Dissimulo ; sed plerique ut de marmore, cuius
Nil praeter crustam. Felix cui fallere plures
Contigerit ! Linguae quid tantum operaris Achaeæ,
Discendo bonas consumis prodigus horas ?

Romam translata, quibus Romani templa, thermas, circos,
& pyramides erexere splendidissimas, quorum nonnulla adhuc
extant monumenta .

V. 119. *Fiunt pagellæ.* Ars haec incrustandi parietes marmore
in subtilissimas quasi laminas secto (ut solet avarus) cum
præbet caseum Parmensem, aut armum siccum natis nulli-
bi magis, quam Romæ viget. Tanti est vana superficies ab
oculo, vel digito examinata !

- 135 Utilis illa quidem ; sed erit simulata perinde,
 Et rediment longum tibi paucula verba laborem.
 Dixeris egregie, si passim admistus inanes
 Inter fabellas intercidat Hellenismus,
 Aut nova, sed duplex, oriundaque stipite Graio
- 140 Vocabula, Nec tibi jam posthac sartago rotunda,
 Cyclica dicatur : sit deinde Ellipticus ovi
 Ambitus : ast hominem Microcosmi nomine dices :
 Tum rivis, avibusque, Poëtarumque procellis,
 Pictorum & sylvis, praefiges rite Parergon.
- 145 Quid si Thucydides interdum aut Pindarus ore,
 Quid si & Aristophanis γέφελαι & ράψωδίαι Homeri

V. 137. *Dixeris egregie.* Sunt qui graece scientes videri volunt, quod ejus linguae pauculas voces memoria teneant, quas tertio quoque verbo solent exprimere.

V. 138. *Hellenismus. Graecismus, graeca constructio.*

V. 140. *Nec tibi jam posthac.* Aliquas hic voces graeculas adnumerat Poeta, Graeculis satis familiares, Q. Sectanum imitatus Sat. v. 65. *Philodemum irridentem*, qui, ut fucum faceret, geometrica vocabula venditabat:

*Nam quota pars hominum, cum dixeris Hexagonon,
 Puncta, superficiem, colon, tetraedra, scalenon
 Non siles, & frontis crispatur ruga senilis?
 Sartago. Patella . . . Microcosmus. Barvus mundus.*

V. 144. *Parergon.* Graeca vox est, qua significatur quidquid praeter opus praecipuum vel pictores, vel poetae eundunt ad augendam operis venustatem.

V. 146. *Quid si & Aristophanis.* Aristophanes sonantior, ac grandiloquentior Poeta Comicus Atheniensis facetissimus. Porro Comoediā is scripsit *Nephele*, seu *Nubes* inscriptam, in qua Socratem, cuius aemulus fuit, exagitat & insectatur. Poemata vero *Ilias*, seu *Trojanum bellum*, & *Odyssea*, seu *Ulyssis* errores ab Homero conscripta *Rhapsodia* vocantur.

- Personet? oh quales adsuesces cernere rugas,
 Quale audire Sophos! Mirabitur aethere lapsum
 Grajugenam Coetus. Minus haeret Villica, nec sic
 150 Ora tenet, quom quartana flagrare Maritum
 Sollicitam, lento docet angier hemitritaeo
 Verbosus Medicus, longeque ambage petita
 Implicat adtonitam. Curtae est prudentia mentis
 Laudare ignota, & temere admiranda putare,
 155 Quae bene non capias; sed & haec Prudentia multis
 Est hodie, nescire aliquid quis turpe fateri.
 Laudat Aligherium, & fumantes sulphure bulgas
 Maxima pars hominum: quotus est tamen, aurea vatis
 Qui sensa, & senium Musae, & mirabile textum,
 160 Et caligantes sacra rubigine gemmas
 Tangat acu? Pauci, clara queis lampade pectus
 Incendit, rerumque arcana recludit Apollo.
 Oh fatuos! clamare libet. Num provida bulbum
 Imposuit cello natura? aut nobile frustra
 165 Erectumque caput dederit, mentemque capacem,
 Aethereamque luto mortali adflaverit auram?
 Quo vis illa animi? quo particula ab Jove summo

V. 151. *angier hemitritaeo*. Hoc est febri semitertiana, quam
 vocant. Mart. lib. 12. ep. 91.
Cui gravis & fervens Hemitritaeus erat.

V. 157. *Laudat Aligherium*. *Dantes Aligherius*, Poeta perlustris, cuius notissimum est Tartarum in plures Bulgas divisum, sontibus excruciantis destinatas.

V. 163. *bulbum*. Num pro capite imposuit natura caspae genitus, aut caulem, seu brassicam?

V. 167. *ab Jove summo*. Sapientiam intellige ab Jovis cerebro dissestam, atque profestam.

- Desecta? An pecudes inter , Pyrrhaeque Nepotes
 Esse aliquid credam, quom plaudit non sibi notis
 170 Laudator luscus? Non haec ego despiciam, sed
 Nec laudare velim eanus, si me Attalus oret
 Supplicibus gazis, aut certet vincere Praetor,
 Furvum Tortorem, , virgas, ergastula, furcam;
 Ni faciam, indicens: cūjus vel maxima causa,
 175 Quod sum liber homo. Si se cognosceret aequae.
 Vulgus iners, non tam facilis, nec publica laudie
 Mercatura foret; fortasse & Graeculus audax,
 Quem male vexat honor, famaeque urtica perurit,
 Disrupto jecore innatam egereret caprificum.
 180 Nunc autem Kappas aliquot si forte & Iotas

V. 168. *Pirrhæque nepotes.* Humanum genus post diluvium
 a Pirrha Deucalionis uxore una cum marito jactis lapidi-
 bus reparatum, ut ex Ovid. i. Metam.

V. 171. *Si me Attalus oret.* Nomen Regis pecunia ditissimi,
 ut ex Jussino lib. 36, unde omnia magnifica Attalica di-
 eta sunt.

V. 178. *Urtica perurit.* *Amor famæ immodicus.* Juv. Sat. 2.
 v. 128.

Unde
Haec tetigit Gradive tuos urtica nepotes?

V. 179. *Disrupto jecore innatam egereret caprificum.* Transla-
 te ad ambitionem, & vanæ gloriae cupiditatem a sylvestri
 fico, quæ caprificus. Accipitur etiam pro scientia futili,
 quæ cohiberi nequit, seseque vulgo ridiculam ostentat. Pers.
 Sat. i. v. 15.

¶ quæ semel intus
Innata est, rupio jecore exierit caprificus.

V. 180. *Nunc autem Kappas aliquot si forte & Iotas.* Graeca
 esse elementa nemo est, qui ignoret. Q. Sextianus Labronem
 quemdam, seu abbatem Stufam, qui Romæ degens legibus
 ope-

Struxerit, Ausonio damnatas nubere metro;
 Semimaresque sonent, quos vix intelligat ipse
 Qui recitat, versus; Bene, nequiter, euge, beate!
 Oh amor Aonidum! oh rebus decus addite nostris!

185 Ferte citi lauros, lauris innectite flores:

Huc, pueri, violas, huc plenis lilia cistis
 Fundite: nulla Venusini jam gloria: sordet
 Naso, & in exilium tantum non mittitur: ipsi,
 Ipsi adeo sacrae nutant in fronte corollae

190 Virgilio, atque aliquis divinam Aeneida culpat.

At de Flaminio, & Cotta, dulcique Rapino,
 Fiunt pileoli oenophoris, piperique lacernae,

Aut

operam dabat, non Graece doctum, sed vix tyrunculum, sic
 deridet Sat. 8. v. 147.

testis Labeo, qui sub duce tanto *

Aerium virtutis iter, fumumque sequutus

Grajorum, de causidico jurisque perito

Graculus est factus, solum & perquirere Kappa,

Gammave contendit, Iotaque senescit in uno.

* Philiodemum intellige.

V. 182. Semimaresque sonent. Hermaphroditi quodammodo
 sint, ac utriusque sexus conditionem induant, vel flacidi sint,
 vervecum more.

V. 183. nequiter. Hic copiose, profuse.

V. 184. Oh amor Aonidum! Ironica adclamatio.

V. 191. At de Flaminio, & Cotta, dulcique Rapino. Nomina
 trium illustrium poetarum latinorum. Marcus Antonius Fla-
 minius Foro-Corneliensis, Joannes Cotta Veronensis, Renatus
 Rapinus Jesuita Gallus.

V. 192. Fiunt pileoli oenophoris, piperique lacernae. Hoc est,
 fiunt pileoli (curacci) vasis vinariis (fiaschi). Oenophora dicta a
 serendo vino in itinere. Lacerna virorum vestis fuit. Hic
 trans-

Ant aliud quiddam putens, quod dicere nolo.

Proh pudor! Interea de nostro scurra superbit

195 **C**allidus, & graphice technam succedere gaudens,
Pellis ut ingestu tumuit quae plumea vento,
Exsilit, insultat. Quid Rullus? quid caput illud
Plenum Euro Boreaque, Ithacos quod vinceret utres?
Jura Stagiritae, longum inviolata per aevum.

200 **I**pse palam damnat, dicique Geometra mavult,
Quam Logicus, quom sit caudex in utroque. Lycaenum
Cur tamen adcusat? quae odii scintilla? quid est, quod
Tortilibus syllogismos magis anguis horret,
Semper & argutis commissa Triangula quadris

translate *cartoccio*, quo piper induitur. Mart. lib. 3. ep. 2.
ad suum libellum.

*Ne nigrum cito raptus in tulinam
Cordyllas madida tegas papyro,
Vel tauris piperisque sis cucullus.*

V. 196. *Pellis ut ingestu*. Follem pugillatorium intellige. *Pal-*
lone di vento.

V. 198. *Ithacos quod vinceret utres*. Scribit Homerus *Odys.*
Aeolum ventorum Regem, Ulissi, ut tutior navigaret, ven-
tos utre conclusos dedisse: sed socios in coriis aurum inclu-
sum existimantes, utrem, Ulysse dormiente, dissolvisse.

V. 199. *Jura Stagyratae*. Aliud imposturas genus hodie usita-
tissimum damnare universim Aristotelis *Stagyratae Philoso-*
phiam.

V. 201 *caudex*. Truncus arboris, *ceppo*; tabula rasa. Homo
etiam stultus metaphorice *caudex* adpellatur. Terent. in
Heaut. 5. 1. 4. *Quae sunt dicta in stultum, caudex, sti-*
pes, asinus, plumbeus.

- 205 Ostentat? Promptum est Tacqueto nempe magistro,
 Ducere lineolas rectas, & ducere curvas,
 Multipli & flexu struere ancipes labyrinthos;
 At fugere incursans lunata fronte dilemma,
 Admotumque gulae nodum, & spirare vetantem,
 210 Solvere difficile est. Adde huc, quod mystica sigla,
 Et magicas illas pueri indoctique figuras
 Non capiunt, laudantque tamen; majoraque credunt
 Prodigia, ardentes quam quom vomit ore favillas
 Ludius, aut agiles varians sub pixide baccas,
 215 Distinet ignavum mirando errore popellum.
 Inde etiam tereti lucet spectanda tigillo
 Aenea Caelorum effigies, ubi plurimus Orbis,
 Aetheraeque ferae, & graduum discrimina; quorum

V. 205. *Promptum est Tacqueto.* Respexit ad Geometriae elementa, quae Andreas Tacquetus Antuerpiensis Jesuita, explanavit.

V. 208. *lunata fronte dilemma.* Dilemma cornutum, quod utrinque convincit; a Luna bicorni.

V. 209. *Admotumque gulae nodum.* Argumentum, quod jugulatorium, aut strangulatorium dicitur.

V. 210. *mystica syglæ.* Litterae singulares mysticae, ut A. B. C. ad explicandas figuras geometricas, quas auctor magicas vocat. *Syglæ* vocem integrum etiam significar, ut S. V. B. E. hoc est, si valeat, bene est. Haec *syglæ* apud antiquitatis amatores familiaria.

V. 214. *Ludius.* Circulator. Giocoliere di bussolotti e d' altro.

V. 217. *Aenea Caelorum effigies.* Sphaera, quae dicitur *armillaris*, aliaque instrumenta mathematica, graeculo sermone familiaria ad ostentandam hujus scientiae peritiam, ut *riga*, *quadrante*, *clavus bipes*, *compasso*, &c.

- Si quaeras numerum , digitis percurrere totam
 220 Protinus incipiet decumana cucurbita Rullus .
 Inde nitet laevi detersus pumice quadrans ,
 Regulaque , clavusque bipes ducendus in orbem ,
 Et multum sudata dioptra , Thiconis & arma
 Omnia , non equidem fatuis imponere nata ,
 225 Semper & ad plutei dextram vigilare jubentur :
 Quae tanto digni Gallus Cithisusque magistro ,
 Tamquam sacra colunt pavidi , metuuntque profana
 Adrectare manu : At si quando Rullus ahenas
 Cum stridore rotas impellit , & horridus haeret
 230 Cuspide suspensa ; tremere ambo pallidiores
 Et cinere & buxo : casurum concuti ab imo

V. 220. *Decumana cucurbita*. Pro maxima cucurbita , nam de-
 cima maxima esse solet : unde *decumana ova* , *decumani flu-*
Elus , *decumana scuta* , &c.

V. 221. *Quadrans*. Mathematicum instrumentum quartam cir-
 culi partem continens , & nonagenos in gradus partitum , quo
 maxime altitudines dimetiuntur .

V. 223. *Dioptra*. Nobis *tragardo* , *geometris* est instrumen-
 tum , quo turrium , montiumque altitudinem , aut profundit-
 atem fontis investigamus , unde aqua per aquae ductum de-
 cenda est . Item in perspiciendo Solis umbris , unde cognos-
 catur recta earam linea in aequinoctiis ante & post meri-
 diem , aut altitudo & depressio in solsticiis .

V. 225. *ad plutei dextram*. Ad *tabulae dextram* , qua utimur ,
 dum litteris operam impendimus , & scribimus . (*Tavolino*
da scrivere) . Pers. Sat. 1. v. 103.
Nec pluteum caedit , nec demorsos sapit unguis .

V. 226. *Gallus , Cithisusque*. Duo Rulli discipuli , de quibus
 poeta Serm. 1. v. 261.

Quippe timent orbem, & Caeli convexa labare,
Percutiuntque sinum palmis, & Numen adorant.

Artibus his asinos capies, cerebrique minores

- 235 Tu quoque, perpetuo quorum celebrabere bombo,
Quam late genus hoc citra Alpes regnant & ultra,
Quin properas igitur potioribus addere libris
Euclidem? Satis est, si magna vocabula discas;
Et diagonales, tangentes, atque secantes,
240 Prisma, parallelas, rhombos, polygona, cylindros
Usque crepes. Si te piget hujus, disce papyrus
(Momenti exigui res est) variare figuris,
Quas modo si demas, nemo sophus audiet umquam.
Pneumaticum calamo, Boyle quem condidit olim,
245 Pinge tholum: rapidis nec dissocianda caballis
Aera cava, inter quae medius non permeat aëris;
Describes & inaequalem siphona, tubosque

V. 234. *cerebrique minores*. Inferioris ac rudioris ingenii, crassaeque Minervae. Hor. lib. 2. ep. 1. v. 205.

Quod numero plures fama & virtute minores.

V. 235. *bombo*. *Bombus* nomen a sono factum, quod propriè convenit apum murmuri. Transfertur & ad alios sonos, ut tubarum & similium. *Catullus* de nuptiis Pelaei & Thetis v. 263.

Multis raucisonis efflabant cornua bombis.

Plausus quoque bombos vocavit *Svetonius* in *Ner.* c. 20, atque hoc sensu a poeta hic dicitur.

V. 244. *Pneumaticum calamo*, *Boyle*. Indicantur aliqua experimenta circa aeris pondus & elaterium; a Roberto Boyle habita.

- Multiplices , cluso doctos signare liquore
 Temperiem,aestatisque vices,summumque decembrem.
 250 Quae tu cuncta notis passim distincta , bacillo
 Monstrabis longo , caussasque & nomina dices ,
 Blandimentum ingens bibulis facturus ephebis .
 Materiam vero , ac formam , ramosque comantes
 Porphyrii , veterum Canones quoque Stoicidarum ,
 255 Socraticamque vetustatem , majore cachinno
 Excipies , quam mentiti triscurria nasi ,
-

V. 249. *Temperiem ; aestatisque vices : Barometro , Termome-*
tro.

V. 250. *bacillo. Bacchetta , circulatorum more , qui facta mita*
in tabulis pieta ostendunt , ac narrant.

V. 252. *bibulis facturus ephebis. Hoc est primae lanuginis*
adolescentibus , quasi verba exsugentibus .

V. 253. *ramosque comantes. Arbor Porphirii designatur , celo-*
berrimi Philosophi Platonici , qua prima Logices elementa
exprimebantur , in scholis olim valde usitata , ae modo pror-
sus sibilata .

V. 254. *Stoicidarum. Stoicorum regulas ; atque principia , quo-*
rum Zeno Philosophus Citticus , auctor fuit & princeps .

V. 255. *Socraticam vetustatem. A Socrate , teste Laertio , om-*
nium mortalium sapientissimo , unde Socratici mores .

V. 256. *triscurria nasi. Scurrilitates ; quae a personatis fieri*
solent festis bacchanalibus . Juv. Sat. 8.
Qui sedet , & spectat triscurria patriciorum .

Aurea quom Nuribus famulatur cymba Latinis
 Per siccum gradiens, & Bacchanalia fervent.
 Quid facias? jubet hoc aetas, & Gallia viatrix.

V. 257. *Aurea quom Nuribus.* Respexit poeta ad currus in cymbae formam extuctos, olim valde usitatos, quibus Romanae Matronae vehi solebant per Bacchanalia. Haec vero satis feliciter describit Q. Sectanus Sat. 8. v. 107.

Ogygii discinta dei plebs sacra frequentat,
 Totaque Flaminiae fasciuit Roma fenestris.
 Barbara quas ornas babylon, phrygiique labores.
 Insanire licet; nulla est censura, Quirites;
 Donec Sacro conspersi pulvere crines
 Post octo jubeant mentem resipiscere soles,
 Cum cinis in cinerem meminit debere reverti,
 Ecce autem &c.

V. 259. *Gallia viatrix.* Ita nempe & Q. Sectanus Sat. 17. v. 123.
 Quos Gallia mittit,
 Sedula nugatorum cultrix, atque arbiter luxus.

DE GRAECULORUM

SUI TEMPORIS LITERATURA.

SERMO TERTIUS.

Quis mihi nunc autem tinnitus percutit aures?
 Denuo Rullus adest; & tintinnabula forte
 Obtinuit, misero jampridem debita collo.
 Papae! Centenis strident marsupia nummis.
 Unde haec ubertas? Nec enim patrimonia tota
 Distrahere optanti tantum daret Hasta peculi.
 Sis salvus, Rulle, & prosit, nummatus abunde
 Quod, ni fallor, ades. Sed non vulgaria sunt haec,
 Non, inquit, noto percussa numismata praeolo,
 Quod tu rere. Habeat sibi talia dives avarus,
 Et cui sorte datum est. Nobis virtutis amica

ENARRATIONES.

Vers. 1. *Quis mibi*. Vide, quale initium sit huic Sermoni, cum auctor *Rullum antiquorum nummorum amatorem*, collare, quasi crepitaculis distincto, ornatum, mulorum more, sibi videre videatur.

V. 4. *marsupia nummis*. Antiquiora numismata. Aliud eruditio-
nis caput, quo etiam male utitur *Rullus* ad captandum
literature nomen.

V. 6. *Hasta peculi*. Hasta ponitur pro *auctione*, incanto; quia
auctio cum esset, hasta erigebatur. Cic. Ph. 8. Itaque ha-
stam semper videre cupiunt *ii*, qui nostris bonis imminent.
Peculum apud veteres nomen generale fuit ad quascumque
opes significandas.

- Aera placent, & quae doctrinae fida ministrent
 Mirum est quod narras; adcedis & illa videre
 Ut cupiam: profer, sodes. Facio imo libenter.
- 15 Nec mora: bis centum exesi fragmata metalli
 Pellicula inversa depromit, & incipit: Haec est
 Aureli facies: Procurrens adspice mentum,
 Horrentemque pilis barkam. Heic galeata superbit
 Roma: vides praelongam hastam, cristasque minaces?
- 20 Quae tamen haec, nudas monstrat quæ turbida mammas?
 Augusti Neptem agnosco, matremque Neronis.
 Infelix mater! sua quam malesuada volentem
 Perdidit ambitio, & regnandi dira cupido.
 En tibi cum Nato sculptus nitet Emptor Olynthi.
- 25 Quid melius, superi! nullas huic comparo gemmas;
 Oscular & Graia contusam incude monetam.

V. 16. *Pellicula inversa*. Ex numismatum capsula, quae pelle
 fere tegitur, quaque numismata disponuntur.

V. 17. *Aureli facies*. Numerat hic aliqua numismata, quae a
 Graeculis studiose describuntur, Q. Sectanum imitatus, qui
 Sat. 9. v. 70. eos carpit, qui aliquam scientiae umbram in
 antiquitatis monumentis praeseruerunt. Qua profecto in sci-
 entia, ut imponere facillimum est, ita ad veritatem accedere
 saepe difficillimum.

V. 21. *Augusti Neptem, matremque Neronis*. Agrippinas intel-
 ligere, quarum altera M. Agrippae filia, Augusti nepitis, al-
 tera Germanici, & Agrippinæ superioris filia, ac Neronis
 mater. de quibus consule Suetonium.

V. 22. *volentem*. Recte *volentem* poeta dixit. Vide Tacitum
 Annal. lib. 14. cap. 9.

V. 24. *Emptor Olynthi*. Philippus Alexandri Magni pater, qui
 Olynthum, Thraciae urbem auro maluit expugnare, quam ferro.

- Huc jam flecte acies.... Satis ohe: quo , bone , tendis ?
 Quiddam habeo quod agam, & non est mora libera nobis.
 Dic mage, quid totum hoc congesti conferat aeris ,
- 30 Quom tibi reticulum panis , viniq[ue] trientem
 Caupones opici renuant praebere roganti ,
 Triplex legitimo nisi fulgeat asse corona ?
 Et pane & vino melior doctrina . Ita sane :
 Dic ergo , quae cum vetulis coguatio nummis
- 35 Sit modo doctrinae ? Sapientum ex ordine nullum
 Invenies hodie , inquit , in hoc qui pulvere multum
 Non sudet . Credo : quid postea ? Pluris emuntur
 Hae modo reliquiae , & veterum monumenta Quiritum ,
 Quam librale aurum , rigidaeque a Mentore lances .
- 40 Credo iterum ; verum quid conficis ? Omnia cernes ?

V. 30. *Reticulum panis*. *Sacculum e reticulo*, quo panes fer-
 bantur. De quo Hor. lib. 1. Sat. 1. v. 147.

... *Reticulum panis venales inter onusso*
Forte vehas humero , viniq[ue] trientem.

Triens poculi genus, quatuor cyathos continens. Passim ea
 vox in Martiale.

V. 32. *Triplex legitimo*. *Triplex corona in unam coalescens*,
 quam *Triseugnum vulgus appellat*. *Insigne est Pontificiae mo-*
netae. Porro mirum est , Rullum numismata quaerere , cum
 rudes caupones panem et vinum praeberet ei recusent , solu-
 tione dilata.

V. 35. *Sapientum ex ordine nullum*. Vide quid respondeat
Rullus, atque intelliges, non numismatum cognitionem, quae
 utilissima est , sed hujus cognitionis simulationem hic derideri.

V. 39. *rigidaeque a Mentore lances*. Patinae a Mentore celebre-
 rimo caelatore elaboratae . De quo Plin. hist. nat. 33. & Juv.
 Sat. 8. v. 112. Martialis lib. 9. ep. 60.

Pocula Mentore nobilitata manus.

- Musaea, ingentes Regum quoque Pinacothecas,
 Aucta numismatibus, spisis quae didita cellis,
 Grandia defendunt e laevi scrinia buxo,
 Lubrica ne subeat musca, aut pulvisculus audax
 45 Laedat honoratos vultus, doctamque senectam.
 Audis, Salmori, haec, & rides? sanior essem,
 Pendere si velles aliquid; quom possit ahenam
 Vendere doctrinam Laterani vinitor agri,
 Quisquis & incurvo subigit Latia arva ligone.
 50 Oh factum male! Quod sero haec sapientia caecis
 Emersit scrobibus, prudentis munere mariae.
 Oh aetas miseranda Patrum! quom talia soli
 Curabant monumenta Fabri, tantoque metallo
 Vascula siebant, pelves, crassique lebetes,
 55 Plurimus & tumidas migrabat Caesar in ollas.
 Haec tu ne pereant cave; sed nec sperne lucernas,

V. 41. *Pinacothecas. Gallerie:* ubi tabulae pictae, signa, numismata, et ornamenta reponuntur.

V. 42. *didita cellis, spisse distributa ac divisa.*

V. 43. *Laterani vinitor agri.* Rusticus vinearum cultor. Porro vetusta numismata saepissime a fossoribus in agro Romane reperiuntur.

V. 51. *Emersit scrobibus.* Foveis intra terram manufactis ad metallia, vel quaecumque alia effodienda.

V. 55. *Caesar in ollas.* Mos erat antiquis fabris pelves, lebates, & ollas imaginibus Herorum exornare.

V. 56. *ne sperne lucernas.* Non solum numismata, sed quaelibet antiquitatis fragmenta conquerunt Graeculi, ut fucum faciant.

- Fictilia & vasa, & sacras Dis manibus urnas,
 Poculaque, & patinas, muscosae & fragmina Trullae,
 Consule quae scripto senuit, gypsoque notata.
- 60 Quid plura? antiqui nec Consulis excrementum
 Abjicies, si forte viae inter rudera sacrae
 Tale quid existat; vitrea sed pixide stercus
 Servabis caute, lasano quod putruit olim
 Forte Corinthiaco: & certe vestigia odoris
- 65 Magni servat adhuc, solerti judice naso.
 Denique quidquid erit defossis forte sepulchris
 Inventum; saxa in primis, quae in funere acerbo

V. 57. *Dis manibus urnas.* Deos Manes corporibus ab ipsa statim conceptione assignatos fuisse putabant, qui ne mortua quidem corpora deserent, consumptisque etiam corporibus sepulchra inhabitarent. Hinc *Dis Manibus* urnis, quibus mortuorum cineres servabantur, inscribebant, & qui urnas demoliebantur, Deos Manes violare putabantur.

V. 58. *fragmina trullae.* Vasa aenea, vel fictilia musco opera, Consulis nomine signata. De Trulla vide Juv. Sat. 3.

V. 61. *viae inter rudera sacrae.* *Via Sacra* locus erat Romae in regione quarta. Hor. lib. 1. Sat. 9.

Ibam forte via Sacra, sicut meus est mos.

Haec iubis via valde frequentabatur. *Sacra dicta*, seu quod per eam sacra in arcem ferebantur, indeque auguria caprarent augures, seu quod in ea foedus olim sanxerant Romulus & Tatius. Hinc & Sacrivienses dicti Nobiles, qui per viam sacram frequenter ambularent. Porro inter rudera *viae Sacrae* multa reperiuntur antiquitatis monumenta.

V. 63. *lasano quod putrait olim.* *Lasanum* vas evacuando ventri accommodatum, quo ex aere Corynthio utebantur; Petron. Satyr. *Ad lasanum surrexis.*

V. 67. *Saxa in primis.* Urnas cinerarias, emortuorum receptacula, & quae libertis, libertabusque eques latinus, seu ex ordine equestri inscribebat.

- Natorum moesti tumulo imposuere Patentes ;
 Et quae libertis libertabusque Latinus
- 70 Rite inscripsit Eques privati in cespite fundi ;
 Accipies veluti simulacrum Palladis axe
 Demissum , inque domus adyto interiore locabis .
 Felix , paullatim si maxima crescat apud Te
 Ex aere , argilla , vel marmore Presbyotheca ,
- 75 Advena lustratae quam post Sacra Romae
 Gestiat adspicere , & Pubes studiosa frequentet .
 Tum super his quaecumque voles narrare licebit ;
 Vera an falsa , reus nullo sub judice fies ;
 Dum rigeat vultus , dum vox non haereat unquam ,
- 80 Fingere , & intrepide discas , Frontone Magistro .
 Non ego pròpterea veto te conquerere libros ,
 Quos membrana tegit , doctaeque volumina chartae .
 Quin age , & hoc etiam tot demum fraudibus adde ,

V. 74. *Presbyotheca*. Veterum monumentorum collectio ex aere ,
 creta , & marmore .

V. 77. *Tum super his* . Recte auctor eos perficit sale Graeculos antiquitatum simulatorum ; qui iis exponendis arque elucidandis , quae sibi effinguunt , narrant audacter , fronte marmorea .

V. 80. *Frontone magistro* . Non dubito , quin Fronto iste sit unus aliquis ex impudentioribus impostoribus , cui plerique , aetate hac etiam nostra , adsimilantur . *Frontonibus* omnia plena .

V. 81. *conquirere libros* . Alia Graeculorum fraus in copia , ac delectu librorum , qui tamen pulvere conspersi jubentur dormire in annos totos , & praebent convivia blattis . Profecto Cl. Joannes Vincentius Gravina , atri quo erat judicio , bibliothecam sibi , non ita quidem contractam , sed paucorum certe voluminum constituit .

- Ut tibi Scriptorum pateat longissimus ordo,
 85 Utile & hoc multis: sed enim delectus habendus,
 Curandumque prius, ne cui pittacia desint
 Aurata, ut minio niteant hinc inde rubello
 Chartarum limbū, nullusque ex ordine peccet,
 Et serie in tota mensura sit omnibus una.
 90 Nec minimum intererit, quo tempore prodierint, quo
 Impressore: Unum renues mutare trecentis,
 Pagina si Junctam referat tibi prima vel Aldum,
 Fumida sit quamquam, & tineis erosa papyrus.
 Dicet idem, & melius fortasse Cominius: Esto;
 95 At nunc venantur prisca exemplaria docti,
 Et potiora typis ducunt chirographa, quorum
 Vix longo exprimitur tormento syllaba verax.
 Num tecum nugor? num non haec serius aio?

V. 86. *ne cui pittacia desint.* Schedulae hic breves auratae
 libris adscriptae (tasselli dorati) Pittacia erant affixa amphi-
 vis vitreis, cum hoc titulo: *Falernum annorum centum.* Petr.
 in Satyr. Eorum compactio niteat etiam minio, eamdemque ma-
 gnitudinem ex ordine ostentent. Procerum maxime Romanorum
 in Bibliothecis.

V. 92. *Pagina si Junctam.* Celebres Saeculo XVI. librorum
 impressores, quorum primus Venetus, de quo Satyra z. v. 28;
 alter Florentinus.

V. 94. *melius fortasse Cominius.* Diligentissimus Patavii no-
 stra aetate typographus, praelum moderantibus Joanne Anto-
 nio & Cajetano Vulpis, fratribus eruditissimis, origine Ber-
 gomensibus, de republica litteraria optime meritis, quorum
 opera edita, ab iisque illustrata, avidissime perquiruntur.

V. 96. *chirographa.* Quæ nostra manu scripsimus. MSS., quæ
 plus, quam libri editi aestimantur.

Quot modo Calliphanes video, queis magna librorum
 100 Congeries praestat tantum hoc, ut Bardocucullis
 Imponant pulchre, & vana ambitione ferantur?
 Multos Rullus habet, conquisitosque libellos.
 Quid tum, si totos dormire jubentur in annos
 Pulvere conspersi, & praebent convivia blattis;
 105 Ipse autem praeter titulos nil adtingit unquam?
 Sed facito adtingat: duro de subere cortex,
 Dum legit, obsistit misero, ingeniumque bilibre.
 Attamen, ut facile indocti capiuntur, Olympo
 Copia librorum, tegumentaque Gallica Rullum
 110 Imposuere. Putat tam stultum nemo, coempta
 Cui fuerit magno nil profectura supellex:
 Et vero prodest, dum veram excusat inani
 Cortice doctrinam, tantundem & gignit honoris.
 Tu tamen ut captes aliena volumina semper,
 115 Quae tua sit tantum adquisito jure tenendi?
 Aude aliquid majus; vietur insere chartis
 Nomen, & extremis volvenda nepotibus olim

V. 99. *Quot modo Calliphanes video.* Meminit Athenaeus
 cuiusdam *Calliphanes*, qui cum esset infantissimus, tamen
 collectis apud se illustriorum poetarum carminibus, poetae
 famam aucupabatur. Quot *Calliphanem* imitantur!

V. 100. *Bardocuculis.* Cucullatardis, minervae crassioris.

V. 107. *ingeniumque bilibre;* rude, crassum.

V. 109. *Tegumentaque Gallica.* Libri gallice compacti, eorumque copia Rullum ad coelum evexere. (*legati alla francese*).

V. 116. *Aude aliquid majus.* Libros scribere, et typis mandare argumentum doctrinae fallax, sed magni penes vulgum momenti, eoque Graeculis non contempnendum.

Vindicit a tumulo quoque te membrana superstes.

Cur tu non facias, quod nunc sibi quisque licere

120 Non dubitat? Tibi Praela gement Hollandica, si vis,
Aeternosque dabunt ventura in saecula partus.

Vix natum excipient te armamentaria Sacrae

Palladis, atque inter pretiosa silentia tutus,
Annosorum hominum pulchro sudore madentum

125 Concilio intereris. Te callidus ambiet ultro.

Institor argutae mercis, doctisque columnis

Praefiget longe spectandum, ubi marmore truncos

Pasquinus riget, & Procerum mala gaudia turbat,

V. 118. *membrana superstes*. Intellige librum. Mart. 14. 186.

Quam brevis immensum caput membrana Maronem

Prisci scriptitavere primum in ceratis tabellis, deinde in charta, seu papyro, postea in membranis ex ovillis pellibus, quae Pergami inventae & aptatae ad scribendum, *Pergamena* dictae sunt. Plin. lib. 13. c. 11. Membranarum usus vetustissimus, nam membranaceos fuisse libros, quos Eleazar Pontifex Judaeus Ptolomeo Philadelpho misit, testantur Joseph Antiq. Judaic. 12. et D. Hieronymus epist. ad Chromatium.

V. 120. *Praela gement Hollandica*. Praela, quae apud Batavorum exercentur, nitidissima, et castigatora existimantur, & jure meritoque.

V. 122. *armamentaria Sacrae*. Intellige bibliothecas.

V. 126. *Institor argutae mercis*. Callidus librorum mercator.
Bibliopola.

V. 128. *Pasquinus riget*. Ad Pasquini forum frequentes sunt bibliopolarum tabernae. *Barbiellinii*, honestissimi viri, tabernae nominantur. *Pasquino* autem, per celebri Romae statuas multis partibus detruncatae, quae gladiatori adversarium ferientis fuisse videtur, adtribuuntur famosa scommata, dilectionia, ac maledicta omnia, vulgo *Pasquinate*, quae contra viros principes praesertim incerto auctore jaciantur, ac per urbem disseminantur.

Scommate Romano. & saevis metuendis Iambis.
130 Te Juvenes avidi, Te post convivia crudus
 Patricius leget, & residis fastidia vinces,
 Pulvilloque comes fortasse cubabis eodem.
Denique, quod summum est, quod spectat Gallius unum,
 Dum scribit toties, & opuscula computat annis,
135 Aureolos multos, si DIs placet, inde parabis,
 Remque tuam tacite augebis. Quid quaeris? eodem
 Fomento geminum cordis sanabitur ulcus,
 Ambitio fervens, & habendi sacra cupido,
 Omne tulit punctum, me Judice, scriptor egenus,
140 Haec duo qui junxit, posuitque in foenore laudem.
 Adnus? at primum, quae sit magis apta placere,
 Materiam sume, & paulisper temporis hujus
 Ingenio indulge: certa est fiducia plausus.
 Si critics aliquid promas. Tam mellea Siren

V. 130. crudus. Cibis non coctis plenus. Hor. lib. 2. sp. 6.
v. 61.

V. 132. *Pulvilloque*. Lectulo accubitorio, & lucubratorio, in quo veteres lectioni & scriptio[n]i vacabant, Hor. Epod. Ode 8. v. 15.

*Quid, quod libelli Stoici inter sericos
Jacere pulvillos amant?*

V. 134. *Dum scribit toties.* Notatum invenio ab auctore, quod iste Gallius, quicumque demum sit, cum numeraret vitae annos sexaginta, totidem ediderat diversi argumenti opuscula.

V. 144. *Si critices aliquid promas. Ars critica nunc in maximo apud eruditos pretio. Hac immane tamen abutuntur Graeculi. Siren traslate hic sumitur, ut apud Hor. lib. 2. Sat. 3.*
V. 14.

Por-

- 145 Nulla modo est, velut Historiae censura prioris,
 Omnia quae miscet, tenebrisque involvit opacis.
 Immane est quantum campo se jactet in isto,
 Cui cor dulciculae prurit tentigine laudis:
 Volvitur hue illuc, ut setas quaerat in ovo,
 150 Lictorum similis, dubiam dum forte tabernam
 Certatim excutiunt, & tela Ligustica quaerunt,
 Furtivumque salem, aut vetita de incude Philippos.
 Nec si longa fides, multos servata per annos,
 Commendet quiddam, & veluti inter sacra reponat,
 155 Abstinet: annorum nulla est reverentia centum,
 Quamquam Pragmatici laeso de Jure querantur;

Porro *Sirenes*, quae superiore parte virginis formam referunt, inferiore in pisces desinunt, cantus dulcedine nautas sopibant, ut apud Hom. *Mellea Siren* vero hic ars critica vocatur, cum ea multorum animos alliciat.

V. 148. *tentigine laudis*. Prurigine laudis. Q. Sect. Sat. 6.

v. 152.

..... *calami tentigine rumpor*.

V. 149. *Ut setas quaerat in ovo*. Est adagium italicum: *Cercare il pelo nel uovo*, uti est aliud: *Nodum in scirpo quaerere*, lictorum more, cum de aliqua fraude, contrabando, suspicantes, tabernas omnes, excutiunt;

V. 153. *Nec si longa fides*. Reprehendit eorum temeritatem, qui, ut doctrinae famam sibi procurent, rebus omnibus fidem abrogant, et illis etiam, quas mortales plerique semper procurant, quod semidociti aliqui hodie faciunt, et sane confidenter.

V. 156. *Quamquam Pragmatici*. Respexit ad legem, quae vocatur *Centenaria*, quae in foro vim habet apud *Pragmaticos*,

Tom. III.

K

si-

Factaque, consensu majorum hucusque probata,
Inter fabellas migrare jubentur aniles.

- Tene, o sancte Faber, prima vernasse Juventa,
160 Quom Jessaea tibi sese Virguncula junxit?
Omnes reclamant Tabulae: vetulum mihi nutrix
Descripsit puer, si rite audita recordor:
Omnibus est eadem vox, & sententia concors,
Jam tum quom Solymis, metuunt qui Sabbata, pulsi.
165 Nil refert: totum hoc non pendit Gallius hilum,
Si desunt monumenta oculo subjecta fideli,
Et palpanda manu. Communis opinio tanti
Non est, ut fatuo quae conjectura cerebro
Nascitur. Hoc tu jure ullum adventasse negabis

sive apud caussatum patronos, atque advocatos. Mart. lib.
12. ep. 73.

• • • • • fabamque solebas
Vendere pragmaticus; nunc emis agricola.

V. 159. Te n: o Sancte Faber. Est, qui negat S. Josephum
fuisse aetate proiectum, cum illi nupsit B. Virgo; sed qua-
lescumque conjecturae persuadent minus, quam communis
omnium opinio, qui semper aliter judicavere. De hisce, atque
aliis, quae in dubium revocantur, vide Cl. Trombellii docti-
ssimi aequi, ac diligentissimi Scriptoris opera, ac Mariani
Parthenii, seu Josephi Mazzolarii *Actiones: De abusu artis
criticae Edit.* Rom. 1772. Idem sentire videtur poeta de S.
Jacobi in Hispanias adventu, altisque pluribus, quae infra
enumerat. Exquiri diligenter veteris memoriae veritatem est
vehementer utile, sed est ipsa inquirendi ratio perdiffici-
lis. Nihil non admittere, atque omnia repudiare, aequi
perversi animi est. Perversissimum autem est omnium fidem
iis, quibus mortales cuncti ad hanc diem assensi sunt, te-
mtere ac sine iudicio abrogare. Justa illud Phaedri sapientis-
simum:

Periculorum est credere, & non credere.

V. 164. Jam tum, quom Solymis. Jam inde ab excidio Urbis
Hierosolymitanae, cum Judaei in exilium acti.

- 170 Hesperium ad Baetim Zebedaeo de patre natum;
Ut multum obsistant, atque indignentur Iberi.
Nec Constantini scabiem lustralibus undis
Detersam, & Sacris permissam Régibus Urbem,
Monstratumque Polo Vexillum, impune relinques.
- 175 Cerdones isthaec credant; Puerique Fabrorum,
Quique locant humeros; omnis muliercula demum,
Quae nescit legere, & nulli est addicta Togato.
Te ridere decet quidquid sibi finxit avorum
Credula simplicitas. Hoc est modo scire aliquid plus
- 180 Quam vulgus, supraqne assurgere vertice toto.
Unde tamen tam multa simul deliria possum
Consuere, ut non exiguis liber exeat? Audi.
Sunt hodie libri, ut muliebria corpora, quae dum
Conclavi neglecta suo, atque inculta morantur,
- 185 Macra videbuntur, brevibusque simillima sardis.
Fac tectis prodire eadem, spectanda per urbem;
Non eadem forma est: nam cum peronibus altis
Incabuere pedes; quom tot redimicula frontem

V. 183. *Sunt hodie libri.* Explicat unde hodie spissiores saepe
fingantur libri, caetera inepti, et nullius succi, similitudine
ducta a foeminis, quae domi primum macrae et contractae,
foris maiores adeo efficiuntur, ut impletant postes ingentes
aedium, ac templorum januas. De immodico librorum, ple-
rumque inutilium, numero, vetus querela.

V. 188. *redimicula frontem.* Taeniae, seu fasciolae, vulgo *ea-*
*sca**t*e*a*. Muliebris capitis, quod componere difficultimum, or-
natus, adscito capillo, ita in dies prominet cum aliis furtu-
ris, ut faeminae novum Jovi bellum illatura*re* videantur. Aedi-
ficandi capitis usus foeminis verüstissimus. Juv. Sat. 6. v. 501.

Tot ptemis ordinibus, tot adhuc compagibus altum

Aedificat caput Andromachen a fronte videbis,

Post minor est

- Aedificant, circum & vestis sinuosa tumescit,
 190 Praegnantem artifici defendens turbine ventrem;
 Protinus augetur species, majorq[ue] videri,
 Atque alia. Ingentes una implet Faemina postes.
 Angustatque viam, magnos imitata Elephantos,
 Aut Orcam, per aquas vasta se mole ferentem.
 195 Non quidquid libro adgeritur, liber est. Superabit
 Gallius haud Phaedrum, nimia farragine dempta,
 Desectisque supervacuis. Pars magna libelli,
 Protinus a titulo, cum Maecenate peribit,
 Cujus in egregias laudes, atque inclyta eundum
 200 Facta Patrum plenis velis. Tum lector amicis
 Interpellandus verbis: *Extorsit Opellam*
Vir Princeps, & amicorum mihi maximus: Aegra
Invitusque fero donari luce: volentem
Perficere inceptum, limaque diutius uti,
 205 *Defecit tempus; graviores otia curae*
Invidere: Piget properanti falce dolatum

V. 194. *Aut Orcam.* Genus belluae marinae, carnis immen-
 sare, balenis infestum.

V. 196. *Gallius haud Phaedrum.* Phaedri opusculum, Fabellas
 aesopias continens versibus senariis suavissimis, est sane exi-
 guum. Non majora fore Gallii verbosi scriptoris volumina,
 si supervacanea tollantur, testatur poeta. In edit. tamen
 Pseudo Genevae & Hagae Ulpiae legitur Ursius haud Phae-
 drum, cum fortasse respexerit ad Jo. Augustini Ursii, ex
 FF. Praedicatorum inclyta familia, deinde Cardinalis, Histo-
 riæ Ecclesiasticæ, quæ nunc Romæ a Cl. Philippo Becc-
 cbetio, ejusdem Ordinis alumno, continuatur, pluribus vo-
 luminaibus jam editis, atque edendis.

V. 201. *Interpellandis verbis.* Haec, aut similia suis praefig-
 re libris solent inepti Scriptores, quos etiam irridet festivisi-
 simus Passeronius in Cicerone Cantico I.

*Edere opus, subcisisvis quod scripsimus horis
 Cessantes, tantum ut privata in sorte lateret:
 Plura tamen sunt, quae nulli explorata Priorum,
 210 Nequidquam tentata, & adhuc incognita, primus
 Expedio dictis: In publica commoda nemo
 Dexterius rem traçavit. Sic deinde sequere,
 Grandia post habito adspergens promissa pudore.
 Haec dum praefaris multus, jam pagina fluxit
 215 Plurima per digitos. Quid postea? nec locus hic est
 Incipere. Anne tibi solent impendere paucos
 Versiculos, qui nil renuunt laudare Poëtae,
 Dummodo clarescant, libroque legantur in omni?
 Hoc ergo spatium teneant Titus, Albius, Hirrus,
 220 Corvinusque tumens, adsentatorque Sabintus,
 Nattaque, Liboriusque ecfrons, similisque farinae
 Centum alii, Myopum pecus, & venalia corda.
 Omnes ingenium Auctoris mirentur & artem,
 Dicendique venustatem. Super omnia acutam
 225 Desinat in caudam quodvis Epigramma: Catenae*

V. 219. *Hoc ergo spatium teneant Titus, Albius, Hirrus. Corvinusque Sc. Triobolarium, & nullius poetarum pretii nomina conficta ex Horatio, Juvenale, & Q. Sectano desumpta. Adsentator, adulator, insidioso-blandiens, conciliandae alicuius utilitatis gratia. Proprie assentamur voce, adulamur gestu, blandimur tactu. Assentari tamen ponitur etiam absolute.*

V. 222. *Myopum pecus. Hor. lib. i. ep. 19. v. 19.*
O imitatores servum pecus?

Miopes, seu lusciosi, aut luscitosi adeo debili sunt oculorum acie, ut nonnisi proxime admetas res videant. Plaut. Mil.

2. 3. 52.

• • • • *Tu quidem caecus, non luscitosus
 Hic autem myopum stoliditas rebrebenditur.*

Nectantur Fatis, juguletur Parca, rigescat
Invidia, incolumes habeant nec saecula dentes,
Si libet, ut tantae monumentum nobile mentis
Nesciat interitum, nullaque aetate senescat.

230 Nec tibi non aliquot pagellas auferat Index,
Qui citet emptorum nomen patriamque bonorum,
Queis sua cudendo conlata est symbola libro.

Sic sensim tibi crescat opus, totoque libello
Adpendix jam major erit. Sed & altera cedet
235 Utilitas; quod Lector ubi pervenerit usque huc,
Nil ultra volet. Ignarus quid deinde sequatur,
Jam negat esse aliquid melius, juratque per aures
Ipse suas, & Amaltheae per cornua caprae,
Haud aliam cervice Jovis pottuisse Minervam
240 Nascier, huic patrem divinum sinciput esse.

V. 226. *Nectantur fatis.* Haec, aut similia ferme continent
versiculi, quos inepti laudatores alienis libris praefigunt.

V. 230. *Nec tibi non aliquot.* Eos deridet auctores, qui cuden-
dis libris societatem querunt emptorum, seu bonorum homi-
num, quorum deinde nomina, patriaque indice notantur,
unde appendix major sit saepe raro libello.

V. 232. *symbola.* Pecunia, quae communi sumptu consertur.
Cerebro autem in *symbolae* voce peccarunt librarii, qui *sym-*
bolum pro symbola scripserunt. Terent. Andr. 1.
• • • • • *Symbolam dedit, coenavit.*

V. 238. *Et Amaltheae per cornua caprae.* *Amalthea*, nomen
nutricis Jovis, quae caprino lacte Jovem puerum pavisse
fertur.

V. 239. *Haud aliam cervice Jovis.* Minervam natam esse ex
Jovis cerebro, a Vulcano securi percusso, ac in duas partes
scisso, Poetae fabulantur.

- Sed quis pejerat hoc? Non Muratorius hercle,
 Maffeiusve, & Averanius, non qui Calepinum
 Restituit nuper. Plenissima pectora recti,
 Nec tentanda dolis, nec conrumpenda favore,
 245 Secernunt aliena tuis: examine pendunt
 Aequo te, &, quanti sis, taxant: mitte fabam albam
 Sperare immeritus: Non vincent mille Poëtae
 Cornicines dominae suffragia libera vocis.
 Proh facinus! raro quod jam natura noverca
 250 Dat tales animas, & corvis rarius albis.
 Nam mode cui tantum est animi? Per mutua certant
 Officia, inque vicem laudant, laudantur & Idem,
 Inter se tacito conjuncti foedere multi,
 Alterius faciem quamvis non viderit alter.
 255 Nominat Umbricum Memnon: Post tempore parvo
 Umbricii in libro fit mentio Memnonis, & par
 Redditur. Ad Superos Juvenem Silvanus Ulyssem,

V. 241. *Non Muratorius hercle.* Meritissime hic laudantur a Poeta eximii sui temporis litterati, iidemque litterariae dignitatis acerrimi assertores. *Ludovicus Antonius Muratorius*, *Scipio Maffeius*, *Ioseph Averanius*, *Jacobus Faciolatus*.

V. 248. *Cornicines.* Poetae, qui cornicium instar clocitando inepta effutint. Persius Sat. 5. v. 12.
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte.

V. 251. *per mutua certant.* Eos merito reprehendit poeta, qui coniuncto quodam foedere invicem laudant, laudanturque: quod est ridiculum sane est, cum de iis agatur praesertim, qui cocta, recostaque nullo lepore, stylo insulsissimo reperant.

V. 255. *Nominat Umbricum Memnon.* Nomina commenticia ex Juvenale desumpta Sat. 15. v. 5. De *Memnone* vide Jesuitam *Athanasium Kirkerium* in *Oedip. Aegypt.* tom. 2.

V. 257. *ad Superos Juvenem Silvanus Ulyssem.* *Murranus*, seu *Dominicus Lazzaninus a Marro*, de quo etiam Serm. 1.

- Evehit; Etruseum laudat Murranus Homerum.
 Sic asinos videas costas conjungere costis,
 260 Officioque pari se ultro citroque fricare,
 Quod neuter faceret, fructus nisi mutuus esset.
 Ulterius ventum est. Tacitum sub laudibus uncum
 Littera adulatrix quondam gestare solebat:
 Captabat timide tunc laus meritaria laudem,
 265 Quosque dabat plausus, sponte excipiebat eosdem,
 At nunc incepit non dissimulanter agi res:
 Hoc unum per amicitiae venerabile nomen
 Postulat, a magno ambitiosus scriptor amico
 Landari: exclusus pudor est: it crebra redditque,
 270 Semper & immeritas mendicat epistola laudes.
 Quid faciat populus, qui nescit talia? credit
 More suo; magnumque nefas, & morte piandum
 Esse putat, si forte horum neglexeris unum,
 Quem magni facit, & stellis paene inserit alter.
 275 Quod si aliquis; sola qui se virtute tuetur,
 Qui neque mentiri vult, nec mendacia ferre,
 Paullum intercedat, foedaeque ad scamna latrinae
 Laudatum pariter laudatoremque releget;
 Provocat utrumque, & populares nescius iras

v. 70, & 11. v. 5. edidit tragediam, *Ulysses adolescens* (cujus stylus deridetur in quadam tragœdia *Rutruancut* inscripta, ac verno lepore a Cl. Zaccaria Valarezzo patricio Veneto exarata.) Silvanus vero, seu Antonius Maria Salvinus Florentinus Homerum ex Graeca in italicam linguam convertit; ambo sese mutuo, ac satis liberaliter laudant sed *Salvinus* fortasse sine fuso. Extitit etiam *Salvinus Salvini*, Antonii Frater, & iterum Canonicus, *Fastorum Consularium* Scriptor eruditissimus, & merita laude ab eruditis donatus, quos inter Franciscus Antonius Zaccaria Hist. Litter. Vol. 15.

- 280 In caput ipse suum arcessit . Plus creditur illis :
 Pluribus , & junctis pro se pugnantibus armis .
 Invidus aut crudis est , qui fluctibus ire secundis .
 Respuit : Hunc tota premit eluvione fluentum .
 Hoc est , quod plerique silent , mordentque labellum ,
 285 Quom levis excipitur tanto clamore Noriscus ,
 Quanto olim domito rediens Nisaeus ab Indo .
 Otia amant isti , Divom quae maxima dona ;
 Totaque seculo malunt dormire cadurco
 Sabbata , quam bellum emotis indicere vespis .
 290 Quo magis admiror fortis animi ac generosos ,
 Quis tolerabilius dulces amittere somnos ,
 Quam libertatem . Vigilare ac semper in armis
 Vivere , sit quamquam non una timenda cicatrix ,
 Pulchrum & honoratum est . Da tales , da modo Brutos ,

V. 285. *levis. Noriscus.* Insigniter ineptum esse oportet hunc Noriscum , cuius etiam meminit poeta Serm. 1. v. 85. *Levem autem vocat* , cum nulla ei fides sit adhibenda . Livius lib. 5. Sed auctorem levem , nec satis fidum super tanta re esse Patres rati .

V. 286. *Quanto olim domito.* Intellige *Alexandrum Magnum* , qui dictus *Nisaeus* a *Nisaea* in India regione ab ipso condita . Haec regio praestantissimos alebat equos , et maximos , unde *Alexandri Bucephalus* .

V. 288. *Totaque seculo malunt dormire cadurco.* Totas hebdomas , qui se virtute tuentur , in utramque aurem securi in lecto malunt edormire . *Cadurcum Cottyna* est , sed etiam pro toto lecto accipitur , ut ex Juv. Sat. 6. v. 536 .
Magnaque debetus violato poena cadurco.

V. 294. *Da tales , da modo Brutos.* Jovem Poeta adprecatur , ut Graeculorum tyrannidum , et capitum in re Palladia conjuratorum ambitionem evertat . Allegoria ducta vel a Junio Brutu , qui Tarquinii et Tarquiniorum evversor fuit , vel a M.

195 Japiter, in re Palladia, qui ferre Tyrannos
Imperiumque pati nolint, aut ambitioni
Conjuratorum Capitum servire tacendo,

M. Bruto Junii filio, qui, conjurorum princeps, ut a Cae-
sar's tyraunide Rempublicam liberaret, eum in Senatu idibus
Martiiis tribus et viginti vulneribus confudit.

DE GRAECULORUM
SUI TEMPORIS LITERATURA,
SERMO QUARTUS,

Et jam multa dedi, quae Te servata disertum
 Efficient alias, si te excutis, ante Cicadas;
 Aut etiam citius. Quid jam causabere post haec
 Si me non audis? non te sudore perenni
 5 Diffluere, aut placitos jubeo intermittere somnos,
 Aegre & anhelare, aut pulmones perdere lenta
 Tabes: Velis tantum: & paream, nisi ferre secundas
 Doctortum in Regno, fieri merearis & Archon
 Protinus a Rullo. Non ingenio atque labore
 10 Res haec poscit agi, sed firmo peccatore, & ore
 Roboreo. Fuit haec olim dementia, libros
 Nocturna versare manu, versare diurna,
 Multum olei, multum consumere nobiliorum
 Spirituum, & studio canos demittere in uno.
 15 At nunc in facili labor est. Huc denique tota
 Evasit novitas, ut yix exercita gleba
 Det frugem immensam, atque omnis ferat omnia tellus.
 Erravere Patres, fateor, verumtamen illi
 Magna reliquerunt post se vestigia, molli

Vers. 2. ante Cicadas. Hoc est ante aliam aestatem, quae per
 Cicadas significatur.

- 20 Non tentanda pede. In mediis eroribus austum
 Miror honoratum, & grandem prodentia mentem
 Peccata, ut bardo nec sic peccare liceret
 Conanti. Sed jam facta est impervia nulli
 Semita doctrinae: cunctos impune Togatos
- 25 Provocat audaci cirratulus ore Cinaedus:
 Et calathos inter teretisque volumina fusi,
 Aemula Petrarchae, tumidoque inimica Marino.
 Digerit egregios Poppea Poëtria versus.
 Attamen exspecto, si quem mihi det Chiabrera
- 30 Si quem Torquatum, jam tot foecunda Poëtis
 Haec aetas: saltem Filicaja, aut denuo fidus
 Exsistat Pastor. Nam quid magnatibus illis
 Haec tenus obponat? Bertoldum credo. Sed isthace
 Missa face: Eximii Frugonius, & Barufaldus,
- 35 Rhedijs, & Gregis Arcadici qui praesidet arvis

V. 22. *bardo.* Stupido, hebeti, tardo. Cic. de Fato: *Stupidum esse Socratem dixit & bardum.*

V. 25. *cirratulus ore Cinaedus.* Qui inter viros quasi mutier est.

V. 28. *Digerit egregios Poppea.* Nomen commentitium a Poppea Neronis uxore, de qua Suet. in Ner. c. 35. In edit. Pseudo-Genevae, & prima Hagae Vulpiae an. 1738. legitur, & fortasse melius, miscitur.

V. 35. *Det Chiabrera.* Insignes aliqui heic recensentur poetæ saeculi superioris.

V. 31. *aut denuo fidus.* Titulus fabulae pastoralis apud Italos notissimæ.

V. 33. *Bertoldum credo.* Ita inscribitur poema Bononiae editum 1736, & a multis praeflatis vīris, ut Francisco Maria Zannettio, Innocentio Frugonio, Flaminio Scarsellio, Hieronymy-

- Philacidas, atque his non Fortiguerrius impar:
 Adde Metastasium, grandi qui carmine scenas
 Personat Italicas: Adde hunc, cui maxima laurum
 Roma dedit: sed nec talem te fingere huper
 40 Institutui, modici nec res est ista laboris:
 Hos longe sequere, & vestigia pronus adora.
 Altera Doctorum est, & maxima turba, superbam
 Quae facit aetatem, doctrinae infesta priori,
 Omnia contemnens, nisi se, saeculumque Leonis.
 45 His ego Te comitem adscribo, ni obsistis, & unum
 De multis facio, Pindi qui Fata gubernant.
 Angeris ut video, infelix; Me ne, inquis, inanem
 Sumere virtutis larvam, virtute relista?
 Decipiam multos, non me: sub imagine falsa

*nymo Baruffaldo, Camillo Zampiero, aliisque versibus
 venustate ac lepore plenissimis coniuncto studio concinnatum.
 Franciscus Laurentinius Romanus, origine Florentinus, Ar-
 cadico nomine Philacidas, Arcadiae Custos. Is fuit, qui
 auctorem nostrum inter Arcades adscripsit nomine Panemis
 Cissaei anno 1734.*

V. 36. *Nicolaus Fortiguerrius Pistoriensis, atque Ancyrensis
 Archiepiscopus, qui Carteromachi, graeco nomine suum fa-
 miliae nomen expressit.*

V. 37. *Petrus Trapassius Romanus a Jo. Vincentio Gravina,
 graeco nomine, Metastasius dictus, cum ex uno in alium
 ipse eum quasi transtulerit; Artis Drammaticae instaurator,
 cultor, & princeps.*

V. 38. *cui maxima laurum Roma dedit. Eques Bernardinus
 Perfectus, Senensis, piissimus aeque, ac celeberrimus etruscis
 carminibus ex tempore poeta, in Capitolio laurea Apollinari
 donatus anno 1725. jussu Benedicti XIII. P. O. M.*

V. 44. *Saeculumque Leonis. Saeculum Leonis X. P. M. aureum
 vulgo vocatur.*

- 50 Cognitus ipse mihi absolvat, me judice, numquam,
Socordemque animum semper mens conscientia fraudis
Arguet. Ah! miseror; nec qua ratione revellam
Hunc tibi scirpiculūm invenio. Vis denique verum
Eloquar, abjectis phaleris? Sed pronus in aurem
55 Hoc tibi committo, & cave ne cui dixeris unquam.
Id cruciat quoque me: ut multūm mihi blandiar, haeret
Scrupulus hic cordi infixus; nam sentio, quam sim
Exiguus, famaque minor, si nominis usquam est
Umbra mei. Quantum est ideo, quod lusimus orsu
60 In primo Satyrae, postrema hac parte recanto
Ex animo; positaque Thrasonis imagine, reddo
Me mihi, & antiquum sisto tibi laetus amicum:
Novi artes, novi simulandi nomina, quae me
Edocuit Rullus longo jam cognitus usu:
65 At vero esse aliquem, qui det sibi verba, sibique
Callidus imponat; quippe id mirabile dictu est,
Nec scio, qui fieri possit: quamquam mihi Rullus
Cognitus, intentoque diu observatus ocello.
Atqui hoc Rullus habet, nimium sibi credulus ipsi,
70 Seque met, arcanum quod non scrutabile, fallenis.

V. 53. *Scirpiculūm*; A Scirpo, seu Junco. *Nodus in Scirpo quaerere*. Proverbium.

V. 54. *abjectis phaleris*. Abiectis ornamenti, sincere, sine fisco; *metaphora docta ab equorum supellecstile*.

V. 69. Prima Editio Hagae Vulpiae sic. At qui hoc Rullus habet: sed celat corde sub imo Ingens arcanum nulli scrutabile lynct. Nam postquam &c.

V. 61. *positaque Thrasonis imagine*. Hoc est posita jactantia, atque audacia, qua initio Sermotis I. Salmorum est allocutus; translate dictum a glorioso milite hujus nominis apud Terentium.

Nam postquam semel inquit, *Ego sum magnus Apollo,*
 Id sancte credit, nec dicere sacramentum.
 Ambigit. Anne jocor? quid nuper dixerit audi.
 Nescio quis minime simplex, & mentis iniquae,
 75 Ex Rullo quaerit: num quem toto Orbe putaret
 Esse virum, tanta qui cognitione maderet,
 Et secum ingenio posset certare. Quid ille?
 Componit primum se cunctatusque parumper,
 (Verum, ut habet, narro): *Fortasse, ait, unus & alter,*
 80 *Haud equidem abnuerim, re plus excellit in una;*
At peream, si quis felicius attigit omnes,
Et genere ex omni studiorum ditior usquam est.
 Sic ille absque joco. Anne aliquid majoris abolla?
 Non speras: tamen est. Aderant certare parati.

V. 71. *magnus Apollo.* Hoc est oraculum, nam Apollo Delphicus sis responsa dabat, qui de suis rebus consultari ad eum confugiebant. Hinc Virg. Ecl. 3. v. 104.
Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo.

V. 72. *nec dicere sacramentum.* Nec ambigit id iuramento ad firmare. Hor. lib. 2. ode 17. v. 9.
 non ego perfidus
Dixi sacramentum.

V. 73. *quid nuper dixerit, audi.* Notatum invenio in margine authographi, duo quae hic narrantur, nequaquam esse auctoris commenta, sed reipsa contigisse.

V. 73. *majoris abolla?* *Abolla* genus pallii duplice panno consuti, quo in militia utebantur Romani. Philosophi eo usi sunt longiore & fusiore, de quo *Ostavius Ferrarius* de re vest. Hinc translate pro re turgida, praegrandi, & magni momenti accipitur. Sic etiam Jav. Sat. 3. v. 215.
 *Audi facinus majoris abolla.*

V. 84. *Aderant certare parati.* Describitur hemiclycus, seu locus in conclavi, sellis in semicirculi formam dispositis, in quo



- 85 *Consessu in magno multi variique cuculli,
Ut solet. Exsistunt Pueri jam diribitores,
Sparguntur toto lata exemplaria circo.*
Rullus in his chartam evolvit: tum fixus in uno
Obtutu, caperat frontem, nasumque subinde
- 90 *Censorem ducens, Physicae capita omnia lustrat.
Vitali nasci muscas referebat ab ovo
Pagina. Rullus ad haec vocem non continet; at se
In latus obvertens, Etiam ne, ait, hoc recoqui, quod
Pridem ego composui, pro re non pauca locutus,*
- 95 *Judicioque dato? Mirum id, minimeque ferendum
Quippe videbatur stulto, quod staret, ut ante
Caussa vetus, Rullo Disceptatore dirempta.
Jamne vides, quantum placeat sibi? quam sibi plaudat?
Qualem se fingat? Felix, qui gaudia potat*
- 100 *Omnia doctrinae, nulla mercede soluta.
Sic amens alter, sua quem dementia fecit
Induperatorem, Carolo non invidet auri
Pallorem, & Chlamydem, aut alacres in bella Phalanges;
Nec famulantem Orebem, & quantum est, quod Caesaris auget*
- 105 *Fortunam: gaudet laceris in vestibus aequae,
Aut etiam plus, ut curas qui nescit amicas*

Im-

quo scholasticae agitari solent quaestiones, magno versicolato cucullatorum concursu, pueris quaestionum exemplaria distribuentibus. *Diribitores in Comitiis, & in Judiciis erant, qui tabellas singulis civibus, vel judicibus distribuebant ad colligenda suffragia.*

V. 91. *Vitali nasci muscas.* Titulus quaestionis, quae in Schola Peripatetica olin agitabatur.

V. 102. *Carolo non invidet auri.* Carolo nimirum Sexto Romanorum Imperatori, cuius tempore, hoc est anno 1737, haec scripta sunt.



Imperii, & circum regalia Tecta volantes.

Hinc nitor in cute perpetuus, frontisque serenae

Illecebrae, blandusque oculorum languor, & udus

110 Ambrosia vultus, spirans convivia Divum:

Hinc Veneres, ultraque diem producta Juventus.

Nam quid maceret hunc, qui secum talia gestat

Semina laetitiae? Nulla est injuria, quam non

Diluat extemplo verae meus conscientia laudis.

115 Objice pauperiem: nemo est locupletior illo,

Qui tantum virtutis habet sub pectore censem:

Invideant illi Reges, non Regibus ille.

At genus obscurum: de mandia ad pulpita venit,

Adsumsitque Togam: natus de matre Gigantum,

120 Quid tum? nobilitas sola est atque unica virtus.

Hunc & amicitiam, & commercia Patriciorum

Usque colit, dominis audax adcumbere mensis,

V. 118. *ad pulpita*. Ad quoscumque suggestus, ac cathedras.

Pulpitum locus proprie erat editus ante scenam, in quo mimi
agebant. Juv. Sat. 3. v. 174,

redit ad pulpita notum

Exodium.

Hoc est ridiculum quoddam versibus & Atellanis fabulis in textum. *Intermezzo*, ab *Atella*, ubi nunc oppidum *Sancti Elpidii*. Hinc *Atellanae fabulas*, atque *Atellae exodia*.

V. 119. *de matre Gigantum*. Ac si dieres *Filius terrae*, cum
Gigantes filii terrae putati sint; id quod abjectissimam conditionem designat. Juv. Sat. 4. v. 96.

Unde fit, ut malum fraterculus esse Gigantum.

Et Minutius Felix: *Ignobiles & ignotos terrae filios nominamus.*

V. 120. *Nobilitas*. Nominis celebritas; Juvenalis sententia
Sat. 8. v. 20.

TOM. III.

L

Et matronales jugulare impune Cathedras:
 Quomque domi sit curta penus, cicerisque catillus
 125 Fictilis, & rapae, gratissima Pythagoreis
 Fercula, vix reparent jejnni termina ventris;
 Se gerit externe pro Lydo Rege, Midaque,
 Cujus habet tantum auriculas. Huic forte mederi
 Instituas: Age: Nonne vides, mi Rulle, quod istam
 130 Non facis ad Spartam? quod multo saepius erras,
 Quam loqueris, nec scis quid distet nasus ab ore?
 Quos recitas versus, nollet fecisse Puellus,
 Qui tremit ad scuticam: Populus te sibilat, omnes
 Traducunt, imi ac summi, juvenesque senesque.
 135 Invidia est, inquit. Fortasse erit unus & alter
 Lividus, anne omnes? quis non ignobilis autem,
 Quis te aliquo ponit numero? Quis cogitat an sis

V. 123. *jugulare*. Depravare, corrumpere, foedare sellas matronarum.

V. 124. *curta penus*. Vix ad viatum necessaria. Pers. Sat. 4.
Tecum habita, & noris, quam sit tibi curta supellex.

V. 125. *gratissima Pythagoreis*. Celebri Stoicorum, & Pythagoreorum frugalitati gratissima erant, interdicta carne, olera, & legumina, unde *victus Pythagoreus*.

V. 127. *Mydaque*. Notissima est fabula de *Mydo Phrygiae Rege*, cui Apollo asinius auriculas indidisse dicitur.

V. 130. *Non facis ad Spartam?* Proverbium graecum apud Ciceronem ad Atticum ep. 6. Sensus est: nonne vides, quod litterati viri provinciam sumere tibi non vales?

V. 133. *te sibilat*. Sibilis insectatur. Hor. lib. 1. v. 66.
Populus me sibilat, ut mibi plundo
Ipse domi.

- Albus an ater homo? Multis tribuuntur honores,
Non tibi: cede Deo : falsam miser exue mentem.
- 140 Invidia est . Sed quid tandem invideant Tibi, nullus
Quem commendat honor, tenui, rerum omnium egeno,
Inlustres Heroum Animae, rectique tenaces,
Ventidius, Grandus , Valsechius ? Et tamen illi,
Illi etiam tua concordes deliria rident.
- 145 Invidia est, iterum ingeminat , quae regnat , & ipsos
Transvertit saepe Heroes . Tota invidet illi
Gens hominum ; Cithisum dumtaxat & excipe Gallum:
Nempe illae pecudes , cerebri quibus uncia non est,
Rulli admirantur crepitus , & stercora lambunt.
- 150 Ulterius quoque prorupit : Flocci facio , inquit ,
Qui me cumque facit flocci. Num despicias omnes?
Despicio, si vis , & eodem ponimus illos,
Quo me illi numero , & cubito metimur eodem.
Quid facias? astum est: adeo latet ulcus , & alto
- 155 Corde sedet , vincitque manus , artemque medentum.
Pharmaca nulla juvant , quamvis Epidauria: non quae

V. 143. *Ventidius, Grandus, Valsecchius?* *Ventidius* nomen commenticum a Juvenale desumptum Sat. 7. 199, & Q. Sechano Sat. 8. 129. *Guido Grandius Cremonensis*, ex inclyto, litteratoque ordine Camaldulensi, celeberrimus in Lycaeo Pisano Matheseos professor , & Geometra nulli secundus , litteratis sui temporis principibus apprime charus. *Virginius Valsechius* Brixiensis, Monachus Cassinensis. Dignus erat , eius memoriam exciperet poeta . *Magnis Hetruriae ducibus Cesimo III.* hujusque filio *Joanni Gastoni* apprime acceptus , ac summorum hominum amicitiis clarus.

V. 147. *Cithisum dumtaxat , & excipe Gallum.* Nominat duos Rulli discipulos ac clientulos, de quibus etiam Satyra 1. v. 261.

V. 156. *quamvis Epidauria.* Quamvis efficaciora & singularia.
L 2 Epi-

Vulnus adulantur lenti dulcedine succi,
Non ea, quae totos faciunt stridere molares
Horribili sale, & innocuum mordere labellum.

160 Helleborum restat, succo si forte potente
Reddatur menti integritas, & pristina virtus.

Interea totum evolvi, ni me omnia fallunt,
Nescius arcanum, quod pridem scire volebam.
Ecquid non cernis? Summa est Furere. At sibi Rullus

165 Hoc habeat: non invideo: & si quem juvat ultro
Desipere, & cerebrum pro dulci errore pacisci.
Hoc ego non faciam: quid Tu? Sapis, & sapere usque;
Credo, voles. Igitur posthac ridebimus ambo

Unanimes (quid enim superest, medicamina quando
170 Omnia dispereunt?) hilarem, & risum dare natam
Rulli stultitiam. Quantum ad rem pertinet, audi
Quid demum statuam. Nova, quae crebrescere coepit,
Sema doctrinæ, solia est pervia ventis,

Quove pedem figas nihil est; planissima quamquam
175 Et brevis, & lenociniis sit consita multis,
Hac me nemo trahet sanum. Mendacia deme,
Non fugiam. Melior nunc de Permesside sensus,
Purius eloquium, & primis de fontibus haustum:

Sed nimis a vitio discessum. Inrepserat ingens

Epidauria dicta ab Aesculapio, qui Epidauri colebatyr, unde Epidaurius dictus.

V. 160. *Helleborum restat.* *Helleborum* herbae species, quae dari solet furiosis, & comitiali merbo laborantibus; hinc factum est, ut qui haud sano sint animo, *helleboro* egere dicantur. Dicitur etiam *Anemocira*, cum in ea insula helleborum oriatur.

- 180 Fastus ab Urbano, & damnoosa licentia fandi,
 Non ea quae ratio, sed quae mens percita ferret;
 Ibat & excussis resonans Oratio fraenis.
 Laudo, luxuries quod jam est compressa pudenter;
 Conseditque furor. Sed ut est contermina culpae
 185 Culpa alia, & tenui distant contraria fine;
 In vitium duxit vitii fuga. Sola probatur
 Jam phthisis, & macies in carmine, pauperiesque;
 Optimus ille autem, quem non reprehendere possis.
 Peccat idem qui nil audet, nimis alta petenti.
 190 Est igitur quod utrinque probem reprobemque: Tumores
 Nolo procellosos, & arenam radere nolo:
 Illis adstipulor, medio qui tramite pergunt;
 Et decus hinc, illinc animos & lumina sumunt:
 Nec mihi si Petrarcha sapit, jam Zappius ivit
 195 Ad Corvos: laudo hunc, magis istum. Pluribus itur
 Diversisque viis ad metam scilicet unam;
 Sed bene qui currit, palmam rapit. Odi ego vanum
 Tironem, sua qui vult tantum Idola Sabaeo
 Thure vaporari, & taxat diversa sequentes.
 200 Suspicer & multos nigrum praefigere theta
 Non temere eximiis auctoribus; & sua virtus
 Forte nocet miseris. Quid in illo carmine tandem
 Displicuit? Summum est, & non imitabile lippis.

V. 180. *Fastus ab Urbano*. Sub initium saeculi superioris,
 quib tempore regnare coepit Urbanus VIII.

V. 200. *nigrum praefigere Theta*. Nomen litterae graecae. Por-
 ro Theta apud Graecos nota erat condemnationis, quemad-
 modum apud Latinos G. Pers. Sat. 4: 13.
Et posis est nigrum vitia praefigere theta.

- Hoc dignum facit opprobiis, & stigmate saevo,
 205 Huccine flagitii? Quis acerbae temperet irae,
 Strangulet aut medio turpissima verba palato,
 Id reputans? Quanto melius, qui non cito librum
 Judicat, atque aliquid semper laudare laborat,
 Mitis Aristarchus! vix est de millibus unus,
 210 Si Burri excipias, fatuique volumina Crispi,
 Quem totum damnare queas. Bona plurima subsunt
 Interdum, intuitu quae non deprenderis uno.
 Sed neque me comitem speret, qui linteae ventis
 Omnibus obvertit, nunc huc, nunc vividus illuc
 215 Flectere iter, grandique vorans studia omnia voto.
 Omnia quis didicit? Periturae angustia mentis,
 Vitae summa brevis, jamque instans forcipe Clotho,
 Moliri tam multa vetat. Jam temporis hujus
 Quantula pars curis vacat? Alea, somnus, amici
 220 Hinc multum demunt. Sperabimus inde per omnem
 Ire facultatem egregie, & collecta tenere
 Craniolo hoc, laetos facerent quae sparsa trecentos?
 Non credam. Sed enim dum libas plurima cursim,
 Undique desectis, mistisque sine ordine rerum
 225 Fragmentis, mens obruitur, medioque fit ingens.

V. 204. *stigmate saevo*. Saeva nota ac censura.

V. 209. *Mitis Aristarchus*. Nomen Grammatici Alexandrinii,
 qui Homeri poemata critica severitate notavit. Hinc etiam
 hodie *Aristarchi* vocantur aliorum scriptorum censors severi,
 qui tamen saepe scriptorum etiam severitate notantur.

V. 210. *Si Burri excipias*. Nomina commenticia ex Q. Sedano
 desumpta.

- In capite Artocreas , rudis indigestaque massa .
 Quanta potest facere audacem , non hercule doctum .
 Votum immane , audax , & dorso sarcina major ,
 Omnia complecti . Nimium qui guttura pandit ,
 230 Nil tenet , Aesopi quod prodidit ante Molossus .
 Hinc mihi suspectus Medicus , qui carmina pangit ,
 Causidicusque Geometres . Tu contrahe vela ,
 Et multum studeas , non multis . Quis pudor , illud
Nescio honoratum constanti promere voce ,
 235 Quom sit opus ? Malo hoc , quam dici *nessis* ; & , omni
 Dum loquor in causa , turpes audire cachinnos .
 Unum age , sed totus ; sed & hoc cunctanter , & illa
 Orbita Te ducat , quam signavere priores .
 Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor
 240 Linquere iter notum , & compeudia caeca viarum
 Quaerere : Festinans ad metam serius ibis .
 Primo deinde loco figas , quod nil sine magno
 Vita labore dedit Mortalibus . Unicus ille ,
 Quem sponte implevit tacito sapientia lapsu
 245 Stertentem . Ad vigiles ea nunc descendit Alumnos ,
 Qui tremere , & sudare queant , totosque Decembres

V. 226. *Artocreas.* Cibi genus ex pane & carne minutum excisa confectionum . (*Pasticcio* , *polpettone*) Hic translate pro re rudi , & male congesta .

V. 230. *Aesopi quod prodidit ante Molossus.* Respexit ad fabulam canis per fluvium carnem ferentis , de qua etiam Phae drus lib. i. Fab. 4.

V. 243. *Unicus ille.* Salomonem intellige , cui dormiendo immissa divinitus sapientia fuit .

- Abstineant vino, & longe in pallore senescant.
 Quo magis attonitus tantam subcrescere in horas
 Audio Doctorum segetem; citiusque sonantes
- 250 Saxorum pluvias, & Mulas parturientes
 Glutirem, & quaecunque redux ab Atlantide narrat.
 Nam modo quot numeres, queis foedium & turpe jacere
 Desidia? quando gravior socordia Terris
 Incubuit? quis jam majora volumina versat?
- 255 Quis vomicam ex libris duxit, putremque salivam?
 Expende aetatis mores: Vix prima Juventus
 Evasit ferulam, longumque valere jubetur
 Cum grege Musarum jam fastiditus Apollo;
 Et diversa placent. Tortum quatit ille flagellum
- 260 Cum sonitu, aut Phrysius agitans ad fraena Jugales
 Automedon novus, undantem terit axe citato
 Flaminiam, auratoque urget temone Popellum.

V. 255. *vomicam*. Quis ex libris copiosam evomuit saniem,
 aut phthisi, seu morbo totum corpus extenuante, cum tussi
 ac sputo purulento conjunto consumptus? Juv. Sat. 13. v. 95.
 & *physis*, & *vomicae putres*.

V. 259. *Et diversa placent*. Ea commemorat poeta, quibus
 maxime delectantur Romani Juvenes, præsertim ex ordine pa-
 tricio.

V. 260. *Phrysius*. Equi Phrysi magni aestimantur, atque iis
 plerique Patricierum Romæ utuntur.

V. 261. *Automedon*. Auriga Achillis, de quo Virg. Aen. 2.
 v. 477. Ponitur hic pro quovis auriga.

V. 262. *Flaminiam*. *Via Flaminia* a Tito Flaminio Consu-
 le

- Ille diem solidum cavea tradūcit in uda,
 Expositum gaudens talis quassare fritillum,
 265 Odrysios inter latices, calidumque cacavum,
 Et gerres serere, absentum nec parcere famae.
 Maxima pars longo misere torquetur amore,
 Et dolet adsidue quod tot suspiria, quod tot
 Non valeant duram placare Amaryllida luctus,
 270 Cujus ab arbitrio vivit, moriturque. Videbis
 Hunc paene exanimem surda pendere fenestra;
 Illum, cui fulget modio saturata farinae
 Caesaries, multo & nasos invitat amomo,
 Ire redire viam sublustri vespere eamdem,
 275 Fingere & obliquo crudeles lumine postes:
 Omnes nil agere. Inde dies labuntar inertes;
 Nec melius noctes; inolevit publica quando
 Consuetudo vices invertere, luce cubare.
 Mollibus in stratis, luna impendente beatos
 280 Congressus colere, & lusus producere, donec
 Humida subducat tardus Sarraca Bootes.
 Publica quom sint haec, tamen aurea volvitur aetas;
 Quique eadem faciunt, hedera donantur amica,
 Inflatisque crepant buccis, & pulpita frangunt.
 285 Quid facit hos animos? Seio: Tres quatuorve libelli

le strata ab urbe Roma Ariminum usque. Hic *Corsu di Roma.*

V. 264. *quassare fritillum.* Vasculum, in quo tali agitantur.

V. 275. *Obliquo,* Obtortis oculis, languentium more.

V. 283. *hedera.* Hedera coronabantur poetae. Hor. lib. i. Ode i.
Me doctarum hederae praemia frontium.

Perlecti ructus inter post prandia cursim .

Tam parvo prostat nostris doctrina Calendis .

Sed Tu , cui laeva sub mamma nobile quiddam .

Palpitat , haec vilis quam sit Sapientia sentis ,

290 Et mecum perges alio decurrere campo .

V. 288. *Sed tu , cui laeva sub mamma . Intellige cor , quod ad laevam vergit .*

IN GRAECULOS
SERMONUM SUORUM
OBRECTATORES.

SERMO QUINTUS.

MENS erat Arcadio suspendere spicula truncō,
Spicula , victoremque arcum , satiataque multo
Vulnere , adhuc tepidis & tincta cruoribus arma ,
Optime Salmori. Sed inermi vivere dextra
5 Non sinit Etrusco veniens e littore clamor
Asperior solito : quin inde emissa sagitta ,
Quamquam incerta volat , solas & verberat auras ,
Intento monet esse animo , torquendaque rursum
Stringere tela jubet . Nec me discedere campo
10 Adspiciet quisquam , dignus modo provocet hostis ,
Quemque pudor non sit facili viciisse triumpho .
En adsum : nec enim totam consumsimus iram ,
Nec pharetra exhausta est ; & adhuc mihi numine fervent
Corda ; Lycambaei superest quoque portio fellis
15 In promptu . Sed quem petimus ? Cesellius hercle ,

ENARRATIONES.

V. 5. *Etrusco e Florentinis aliqui , Serrones in malam partem interpretati , tremere cooperant contra Auctorem.*

V. 15. *Cesellius hercle.* Sub hoc nomine editum fuit a Joanne de-

- Indignum caput, aonio quod concidat ictu ;
 Me numquam trahet in pugnam; convicia quamvis
 Multa vomat : fiet nec me feriente superbus.
 Ossifrago melius baculo mansuescere posset
- 20 Scurra procax , sacris non castigandus iambis .
 Scilicet ut curem hunc , qui paucula verba latine
 Reddere non valuit ? Quid ? quod fanatiens iste
 Mecum non agit ? & satyras ulturus acutas ,
 Incursat quoscumque potest , primosque lacescit ,
- 25 Ut sors obtulerit , multum & despumat in illos ,
 Ira amens caeca , rabidoque simillimus angui ?
 At miser insanis lunam latratibus urget ,
 Nec grandes animas , magno jam nomine tutas ,
 Percutiunt voces immane rudentis aselli .
- 30 Ille etiam de me praecclare sentit ; amicus
 Nec mihi blandiri plus posset ; carmina quando
 Talibus attribuit nostra , & sibi fingit in illis

Lamio, qui sermones in malam partem interpretatus , irrogatam sibi injuriam putabat , carmen italicum , de quo supra , Pifferi *di montagna* inscriptum , maxime contumeliosum , non tam contra L. *Sectanum* , quam contra duos , eosque spectatissimos Jesuitas , *Pompejum Venturi* , *Hieronymum Lagomarsinum* , de repubblica litteraria optime meritas , in Florentino Soc. Jesu Collegio , tunc Rhetoricae , Poeticaeque doctores , quos homo plane furiosus Sermonum auctores esse arbitrabatur . Videsis Auctoris vitam .

V. 28. *Nec grandes animas*. Honorificentissima eorumdem Jesuitarum *Venturii* & *Lagomarsini* , debitaque laudatio ; quibus jucundius multo esse debuit ita sese ab laudato viro laudari , quam molestum fortasse fuerit ab vituperando homine *Cesellio* vituperari .

V. 29. *Percutiunt voces*. Italicum proverbium : *Raglio d'asino non giunse mai in cielo* .

- Sectanum ignotum. Quo gratus honore vicissim
 Illi ego nec famam renuo , nec fine carentem
 35 Vitam elargiri. Madeat Cesellius ergo
 Additus huc , longum & nostro cum carmine vivat;
 Seraque posteritas nomen balatronis inepti
 Audiat. Hoc a me miser impetraverit unum
 Carmine pro tusco , caecis , si forte , probando ,
 40 Perque vias urbís , vētnla nubente , canendo
 Discordem ad cytharam . Sed nil jam postulet ultra,
 Nec responsa petat. Sperni sua jurgia , seque
 Sentiat , & doleat. Nam quid , si denique vellem ,
 Respondere queam? quom , praeter rancida quaedam ,
 45 Spurcitas audire meras , inhonestaque cogor
 Propudia , ecfrontes factura rubescere moechas :
 Quaelibet & foedis stupratur pagina verbis .
 His me respondere nefas ; quae scilicet usus
 Urbanus vetat , & pudor , & reverentia . Vos , o
 50 Linguaces servi , Lictores , Furciferique ,
 Cauponesque mali , Lixae , Lanii , Cerdones ,
 Venales Mimi , & Praedones sandapilarum .

V. 46. *Propudia obscaenitates*, res pudendas, quas ipsi ecfrontes maechae respuerent.

V. 49. *Vos*, o. Revera carmen illud obscaenissimum est, atque honesto homiue alienum. Recte igitur poeta turbam quamdam sordidi generis invitat, ut Cesellio sermone pari respondeat.

V. 50. *Praedones Sandapilarum*. Seu bajuli , facchinii , qui , humeris locatis , efferunt Sandapilis , seu lecticis , plebejorum , damnatorumque cadavera . Vide Mart. lib. 2. ep. 81. & lib. 8. ep. 75. Q. Sect. Sat. XI. v. 307.
 . . . , frustra tua fata morantur Sandapilas .

- Mulorumque duces , carrucarumque magistri ,
 Quique tabernarum semper de rore madetis .
- 55 Vos illi , novistis enim , per mutua pro me
 Ferte vicem sermone pari ; dominoque priori
 Hoc agite ut redeant tituli , quos perdidit omnes ;
 Et sua spurciloquo dieteria reddite vati .
 Post haec erumpat furiosius , & sine lege
- 60 Saeviat , aut prosa aut numeris , impune licebit ;
 Ut multum exclamet , vocemque minaciter inflet
 Faucibus ex imis , media inter verba resolvens
 Municipes flatus ; Faciendaque , factaque eodem
 Metiri cubito certum est . Obprobria surdus
- 65 Qualiacumque feram : donec sermone latino
 Existat quiddam meliori numine cusum .
 Sin minus , immundae damnabimus omnia sellae :
 Atque hunc postremo Cesellius ibit in usum .
 Quanto rectius hic , latio qui scripta colore
- 70 Divulgare timet , nonum & maturat in annum ?
 Consilium laudo artificis . Maledicta prudenti
 Ignosc miserans : iratum nec tamen odi
 Haec tenus . Id miror : stomachi quae causa ? quid illi
 Displicuit ? tanti ne fuit dementia Rulli ?
- 75 Dic , o quicumque es , perituri carminis anctor ,
 (Comis & impavidus namque insto , & utroque paratus ,
 Seu certare odiis posthac , seu jungere dextram)
 Quid tibi cum Rullo ? quid cum bucconibus illis ,

V. 62. *faucibus ex imis* . Respexit ad Florentinoren usitatam
 pronuntiationem , quæ vulgo Gorgia appellatur .

V. 78. *cum bucconibus illis* . *Bucco* , stolida satuaque persona
 apud Poetas Atellanarum . *Babbuassi* , *pecoroni* . Plaut . Bacch . 2.
 * * * * * . *Stulsi* , *stolidi* , *buccones* ;

- Quorum ego lustravi latebras , & facta momordi ?
 80 Te ne ergo pingebam nolens ? Non , arbitror , istuc
 De te ultro dices ; coram & tortore negares ,
 Si quid habes cordis . Quorsum ergo clamor & irae ?
 At strident multi . Si de grege curculionum ,
 Vox quibus in censu est , sola & mendacia prosunt :
 85 Hoc volui . Mensam consulto sartor amicam
 Percutit , ut saliens prodat se tinnula forfex .
 Sin alii : immerito flagrant , feriuntque suo se
 Judicio . Esse aliquos verae virtutis alumnos ,
 Qui grajo de fonte bibant ; qui mucida saxa
 90 Non frustra , & senjo detrita numismata versent ;
 Intima qui penetrant naturae arcana , Mathesi
 Auspice ; qui critices taeda nitantur ad astra ,
 Scimus : & hanc illis laurum concedimus ultro ,
 Gratamurque datam , & taciti veneramur adeptos :
 95 Illis irascoi , vacuo qui cortice laeti
 Talis praetendunt ; pluma vitulantur & alba

V. 83. *de grege Curculionum.* Homo flocci faciendus dicitur *Curculio* , translate a *Curculione* ; qui vilissimus , tenuissimusque vermiculus est , a quo frumentum correditur . *Platus* Parasito nomen fecit *Curculioni* , a quo & fabula nomen accepit .

V. 88. *esse aliquos verae virtutis alumnos.* Significat auctor , quid de bonis litteris , virisque litteratis ipse sentiat . Fateatur , quidem , ut etiam ex superioribus Satyris intelligi potuit , multos esse hodie eximios litteratos , qui veteribus sive numis , sive codicibus , qui Graecis , Geometricis , criticis studiis delectentur , qui libros edant , qui bibliothecas instruant . Litteraturae fucum atque abusum tantummodo insectatur Poeta .

V. 96. *pluma vitulantur & alba.* Pluma alba , quae honoris insigne est , voce laetantur , quamvis interius corvi . Translante loquitur poeta .

Interius corvi, aut majori nomine galli :
 Larvati heroës, nil verae laudis habentes.
 Haec veteratorum pigmenta, hunc denique fuctum
 100 Odi ego, & insecto. Nec jam lectore benigno
 Est opus ; ast aequae mentis, minimeque supino,
 Sinceris nolit qui crustam inducere. Sed ne
 Sit locus errori, nostram tandem adcipe mentem.
 Nam juvat ingenuos animi depromere sensus,
 105 Et non ambigue dictis lucem addere. Posthaec,
 Quos designuarim, indiciis cognoscere certis
 Fas erit : & satyram capies interprete nullo.
 Putidius nihil est illis. Si cetera desint,
 Asperiore supercilie, rugaque minaci
 110 Adcusant sese. Sed quanta cucurbita collo
 Haereat, ostendit vocalis Graeculus, & se
 Prodit hians tantum. Quam multa negotia ! quales
 Deblaterat curas, nullis poscentibus ! Horam
 Respirare nefas. Quid enim ? Hinc formosa puella
 115 Sacris induitur vittis, hinc altera nubit.
 Carmen utriusque paro, quid vis? debetur utriusque:
 Nolentem vicere preces. Sed pressius urget,
 Quod jubeor quaedam Zetetica cernere cursim,

Ju-

V. 97. *majori nomine Galli*. Aves cohortales, italice *Gallinacci*. Ex Umbria, indicorum pullorum fertilissima, turmam in Romam aguntur, qui a custodibus virgis coercentur.

V. 98. *Larvati heroes*. Heroes ficti & personati. Translate *larva* dicitur de homine etiam stupido. Plaut. Merc. 5. 4. etiam loquere larva tu.

V. 118. *quaedam Zetetica*. Maluit *Zetetica* nominare poeta, quo magis Graecolorum multitudinem imitaretur, qui quae mi-

*Judiciumque dare. Et nuper liber editus, a me
 120 Censuram expectat. Redeuntia sabbata post haec,
 Et scribenda frequens de rebus epistola nostris,
 Paene adimunt animam. Quis talia scire laborat?
 Sed fucum faciunt: ideoque alpha ardelionum
 Nusquam non recitat cunctis, atque obgerit ultro.
 125 Quid si doctum aliquid mediis sermonibus, ut sit,
 Incidat? Heic partes Rhadamanthi adsumit & urnam,
 Ac tripode e sacro judex oracula rumpit,
 Astronomus non est: caeli tamen impiger orbes
 Adgreditur, solisque vias, & cornua lunae.
 130 Quoniamque parallaxin, quantum pote, dixerit, actum est;
 Jam Siculo mundum non invidet armillatum.
 Non est Causidicus, Medicorum aut unus: at illi
 Languidius causas, morborum & nomina tractant.*

minus intelligi vulgo putant, ea magis in Sermonibus etiam familiaribus usurpant.

V. 123. *alpha ardelionum.* Princeps ardelionum. *Ardelio* homo erat irrequietus, hic atque illuc semper volitans, omnibusque negotiis se immiscens, italicice: *affannone Ser Faccenda;* Mart. lib. 2. ep. 7.
 . . . *Vis dicam, quid sis? magnus es Ardelio.*

V. 127. *Ac tripode.* *Loqui ex tripode,* proverbium a se Ha tribus pedibus sustenta, in qua Phaebas, Sacerdos Apollinis, in Apollinis templo sedebat, & responsa dabant.

V. 130. *Quoniamque parallaxin.* Mutatio ea est, seu differentia loci veri & apparentis. Vocabulum astronomicum.

V. 131. *Jam Siculo mundum.* Sphaeram Armillarem ab Archimedie Siracusio inventam. Dixit latino maxime vocabulo *Armillatum*, quod multiplici circulo, tanquam quibusdam armillis, constat.

TOM. III.

M

- Ecquid Musicus est? vario de cromate velox
 135 Dicere? Ne multis. Si duceris ore loquentis,
 Quidlibet est: Medicus, Pictor, generosus Equiso,
 Navita, Venator, Miles, Faber, Archimagirus.
 Haec leviora tamen. Tunc praे Nili cataactis
 Perstrepit, & spissam calido jacit ore salivam,
 140 Quom divina movet. Timide quae tangit Aquinas,
 Et que barbati trepidant versare magistri,
 Expedit ut digitos. Tanti est componere litem
 Ac spuere: *Heus tu*, inquit, *labium compesce Molina:*
Gratia Lemosio victrice auctore triumphat.
 145 Atque ea saepe audis, quae non deferre Minervae
 Relligio est. Si quis forte audeat hiscere contra,
 Concinit ad lapidem, contraque tonitrua pedit.
 Osseus ingenio, conchas atque ostrea vincens
 Duritie mentis, citius, quam dicta recantet,

V. 134. *Vario de chromate.* Chroma genus musicæ. Hinc chromatikon melos, una ex tribus musicæ partibus, quæ in flexionibus vocum posita est.

V. 136. *Equiso*, seu auriga, aut equorum domitor. *Archimagirus* princeps & magister coquorum, vel qui coquinae praeest. Juv. Sat. 9. v. 109.

V. 138. *Nili cataactis.* Solemne est Nili aquam loco prorupto ac precipiti ruere. De quo Plin. lib. 9. c. 9.

V. 143. *labium compesce*, *Molina*. *Ludovicus Molina*, & *Thomas de Lemos*, duo præstantissimi Theologi, ac satis noti in celebri controversia de auxiliis divinae gratiae.

V. 145. *quae non deferre.* *Minervæ.* Quae videlicet ad tribunal S. Inquisitionis deferenda sunt. Convenire autem solent Cardinales Inquisitores statim diebus in aedes PP. dominicanorum, quæ a *Minerva* huncupantur; statisque diebus in aedes S. officii prope Vaticanum.

- 150 Amittam corium; &, fracto quoque crure, resistat
Indocilis vinci: fortasse & bestia calces.
Pro stimulo dabit. Est, qui solvit labra cæthinnis;
Si quando haeret aqua; & simulans immane tacendi
Propositorum; quom jam nec vox nec verba sequuntur
155 Cônanti; litem risu concludit equino.

Sed liber in pluteo. Visa se Graeculus esca
Non tenet: in titulum ruit ocyus; atque voraci
Lumine obit totum. Sed nondum pagina versa est;
Jam crispatus buccas; jam nasum ducit aduncum:
160 Jejunat; modo visus edax; alioque reflectit
Jam saturös oculos. Unde haec fastidia; quaeris,
Tam subita? In causa est Sadoleto senior annus,
Qui jacet ad calcem. *Meliora opsonia, sodes,*
Porrige, ait; si me pulchre graecarier optas.
165 Ut lübet, en aliis codex. *Hanc tu mihi pestem?*
Tolle, rogo, ex oculis, habeatque Salarius, aut qui
E lacera fingunt ridenda sigilla papyro.
Cur hoc tam subito? num pridem cognitus auctor?
Nunc primum tetigit. Sed in ipsa fronte repertum
170 Nescio quod Jesu nomen facit esse pigendum.
Haec summa est culpae; damnari ut debeat insons,
Indicta causa. Jam quiddam existat ab illo

V. 162. *In causa est Sadoleto senior annus:* Quod sit impressus
post Saec. XVI. quo floruit Sadoletus.

V. 164. *graecarier optas:* Hoc est Graeculos imitari. Hic im-
ponere.

V. 170. *Nescio quod Jesu:* Graeculus displicet liber eo tantum
nomine. quoq; auctorem praferat Jesuitam.

- Tempore , Borbonio cessit quom Roma furenti ,
Altaque sacrilegis patuerunt Templa caballis .
- 175 Quidquid id est , summum , admirabile , Caelicolarum
Symposio dignum est . Olidae mille oscula libat
Membranae , rorem ex oculis demittit amicis ,
Inrequietus agens nimia tentigine clunes .
Nunc age : Scriptorum mutentur nomina tantum .
- 180 Lemenis si quid recitas ; praemittito Bembum ;
Bembii si quid habes ; illum mentire priorem .
Quid fiet ? Mera facta cano : Tolleatur ad astra
Junior immodico plausu : nec tota vetustas
Proteget a sannis & amaro scommate Bembum .
- 185 Haec ego mansuete ut videam ? me parcere flagris
Sorte datis ? Malo gelidas sorbere cicutas ,
Quam fieri stipes . Doleat , fremat , atque labellum
Dente premat , merito quisquis sub verbere livet .
Nec sileat , quantisque potest ululatibus auras .
- 190 Impleat . Haud parcam . Durum est , quod vapulat , illi ?
Ast aliis durum inludi . Si plangere non vult ,
Idque cupit , ferulam scapulis arcere sonantem :
Quur non insanam disicit compescere linguam ,
Seque suam intra pelliculam tenuisse pudenter ,
- 195 Consilia in melius vertens ? Non omnibus omnis
Improbis est aequa invitus . Metuendus adulter
Zelotypis tantum ; sed & his queis contigit uxor

V. 173. *Borbonio cessit.* Saeculo XVI, sive anno 1527, continet miserrima Romanae urbis clades ; ac direptio, duce & auctore *Borbonio*.

V. 194. *intra pelliculam.* Verecundus, sua conditione ac sorte contentus. State ne*suo strati.* Hor. lib. 1. Sat. 6. v. 22.
... *Quoniam in propria non pelle quiessem,*

- Foeda parum. Locuples timet uncum furis & odit
 Prodigus haeredem; natas contristat Avarus:
 200 Solos Delator sontes: Falsarius omnes.
 Cui non indignum est, bardum stolidumque putari?
 Atqui hoc de nobis sentit, qui imponere certat
 Graeculus, & nostra se credulitate tuetur.
 At, si cui dederunt longum bona numina pasum,
 205 Imponi sibi non vult. Artes bambalionum
 Ridet, & ignavo caput ecferit nobile vulgo.
 Et, cunctumque teperit generoso sanguine venae,
 Devovet, & merito, hos. Tussim, laterumque dolorem,
 Et cancrum, & scabiem, nodosae & vincla podagrae,
 210 Pallentemque gonorrhoeam, tumidasque mariscas,
 Herniam, & esuriem, & cimices, & carceris umbram,
 Et si quid miserabilius, quis perferat aequa:
 Nemo impostores. Idem calor incitat omnes,
 Mens eadem: haec abolenda hominum contagia; & igni
 215 Privandos & aqua, si fas, & lumine solis;
 Rem tractandam armis, & aperto marte gerundam.
 Et quamquam in medium deseendi solus arenam,
 Solus & incursum glomeratae huc usque phalangis
 Sustineo: mecum meditantur foedera multi
 220 Jungere; pugnantique favent clamore secundo
 Interea, & laeto nobis acroamate plaudunt.
 Attamen haec tu monstra bonus mitisque patronus
 Defendenda putas? Cave, sis, defendere causam
 Ne videare tuam. Sed nondum ponimus isto

V. 205. *Artes bambalionum.* Bambalio proprie a linguae haesititia dicitur, *Tartaglione*: Hic pro quocunque homine inepto, & nullius numeri. Cic. Philip. 3. *Tuae conjugis bambalio quidam pater, homo nullo numero.*

- 225 Te numero; & de te melior sententia surgit:
 Suspicor invitum, & multis gannitibus' actum
 Adposuisse manum tabulae, factique pigere
 Internis actum stimulis. Defendere malo,
 Quam cito damnare. Et vetus est fortasse similitas,
 230 Quae te praecepitem, in saevos inmisit iambos,
 Recto posthabito: vetus est injuria. Nam quur
 Sectano infensus, tantum baccharis in illos,
 Una quibus cura est Pietatis jura tueri,
 Virtutisque viam docili monstrare Juventae,
 235 Qui semper vigilant in publica commoda: qui te
 Erudiere diu, & talem finxere docendo?
 Quur transfers iram? Pullo Sectanus amictu
 Scilicet incedit, quadramque adrodit eamdem.
 Quid si deciperis? Quid agam, quo litore vivam,
 240 Quae me lana tegat, num pulla an candida, qui sint?
 Non facile invenies, Cereris si lampade quaeras:
 Quidquid fama canat; quidquid vulgaverit, acta
 Publica quae perfert, mentii adsueta papyrus,
 Quem me cumque tamen fingas: num vertere in omnes
 245 Unius culpam decuit? Tu bella movere
 Tot Patribus simul, & tantum irritare Senatum
 Nil metuis? Toto nec corpore contremuisti,
 Nec coma dirigit, nec vox tibi faucibus haesit,
 Nec periere intus braccae; quom plena furoris
 250 Carmina ructares, tot circumstantibus illic
 Testibus? O miserum! si paullo grandior essem!
 Sed tua te macies a magno protegit hoste.

V. 226. *multis gannitibus actum.* Gannitus proprie vulpium
 est, hic garrulorum hominum impulsu manum Satyrae ano-
 nymum poetam adposuisse, auctor suspicatur.

Agnosce hoc saltem, quod saxum immobile pulsas,
 Decoquis & vocem. Quos Reges atque Tetrarchae
 255 Consiliis adhibent, summo & dignantur honore,
 Quippe movebuntur, si Rana infensa coaxet,
 Vanaque limoso mittat convicia fundo.

Sed tandem, ambitio an virtus hoc suadeat illis
 Consilium, miror generosa silentia, & idem
 260 Indignor. Vellent si quando obvertere frontem,
 Et contra audaces sancto se jure tueri;
 Obtrectatorum populus decresceret & frons,
 Et fierent mutuae, post prima pericla, cicadae,
 Nunc autem cui non haec surda modestia linguam
 265 Exacuit? cui non animos dat mortua virtus?
 Quem metus instantis virgae? quem poena coercet
 Descensura? Ferit, gingivam quisquis inermem
 Non habet; Excussi prohibent si rodere dentes,
 Latratur. Bonus est, sola & virtute movetur
 270 Harpocrates. Chartae volitant impune loquaces:

V. 256. *si Rana infensa coaxet.* Coaxare est ranarum prop-
 prium. Auctor Carm. Philomella:
Garrula limosis rana coaxat aquis.

V. 258. *Sed tandem, ambitio.* Videtur reprehendere Jesuitas,
 quod tam multis libere obloquentibus nunquam, aut raro,
 aut certo non pari libertate respondeant.

V. 263. *Cicadae.* Jesuitarum obrectatores ab auctore cicadis
 assimilantur, de quibus Virg. Georg. 3. v. 328.
Et canu querulae rumpunt arbusta cicadæ.

V. 270. *Harpocrates.* Gracchus Philosophus, cuius eruditio ac
 praecepta in id tendebant maxime, ut silentium ediceret, &
 omnibus rebus illud anteponeret. Hinc habitus est Deus si-
 lenti. Sola enim virtute se tuebatur. *Cartbae volitant.* Epi-
 stolæ, ac litteræ nunciae. *Gazzette.*

- Rari conventus , rarae sine scommate mensae .
 Quodque magis coquit , implumes etiamque recentes
 A-scanno & scutica , hoc audent : qui nec tria norunt
 Stesichori , quibus & non tangit poenula talos .
- 275 Nulla ne projecto fraena injicienda furoti ?
 Si cessant illi , palmae melioris amore ,
 Quorum res agitur : saltem intercedat amicus ,
 Et si quis pulchro est qui delectetur honesto ,
 Juris amans , rectique tenax ; seque obferat ultro
- 280 Aequi adsertorem , defensoremque Tacentum .
 Causa bona est ; & qua possit sibi quisque placere .
 Hoc ego consilio , & stimulis praestantibus actus .
 Jam semel ad partes veni ; turbamque repressi
 Exultantem animis , nec quid jam tale timentem .
- 285 Majoresque pati docui , & non tollere cristas .
 Illa quidem spumas agit ore , & sidera pulsat
 Stridore ingenti . Sed vox est ista gementum ,
 Haesuram perhibens alte subiisse sagittam :
 Quo laetor magis , & pulchro mihi gratulor iectu .
- 290 At tandem siluisse volent : pruritus abibit
 E jecore : & plagas forsitan meminisse juvabit .
 Venerat extremos jam tandem Hispanus ad Indos ,
 Orbem alium quaerens . Sed quom jam victa carinis

V. 274. *Stesichori.* Proverbiū de vehementer indocto , & imperito dici solitum . Tria *Stesichori* , excellentissimi poetæ Lyrici , sunt *Strophe* , *Antistrophe* , *Epdus* . His & aliis tragici poetæ nonnumquam utuntur , potissimum in choris .

ibid. non tangit poenula talos . Eos intellige , qui vel sacris non sunt initati , vel nondum ad rempublicam adcesserunt , quorum utrique non talaribus vestibus , sed brevioribus utuntur , suntque vulgo plerumque indectiores .

- Cessisset matia, & palmas daret incola nudus?
 295 Totaque victori tellus inventa pateret:
 Praebebat longam, nugari certa, querelam
 Bellua. Cognati nimirum gentibus illis,
 Dissimilesque parum, vexabant hospitis aedes
 Simioli; & densis miscebant omnia turmis,
 300 Pejores mutilis cantoribus, & parasitis.
 Quid fieret? Nugas & ludicra ferret Ibetus?
 Sed non ad caudem visum est saevire. Quid ergo?
 Quom primum incauti redeunt, & nota revisunt
 Tecta, rapit velox & inobservatus ibidem
 305 Ignivomam canham, vasto quae gutture nimbum
 Spargere sulphureum didicit, globulosque minutos,
 Foeta intus laxatque rotam. Tremefacta repente
 Fulmine turba levis, liquidique adspergine plumbi
 Mille locis terebrata cutim, fugit oxyo euris;
 310 Et sua praecipiti repetit nemora avia saltu,
 Ales facta metu. Moestis cum matribus illic
 Ringantur multum; properantque subinde rubentes
 Scalpere cluniculas. Sed, ubi nil vociferando

V. 300. *Pejores mutilis cantoribus, & parasitis.* Hyperbale.
Evirati enormiter foent. Q. Sectanus Sat. V. v. 86. eorum
foetidum oris halitum sic describit.

*Tu tamen huic proprius cavas adstare loquenti:
 Nam licet unguento lotus myrraque labore
 Emendare animam, gravis est, nasumque fetire
 Longius ille solet, quam nervo missa sagitta,
 Aut quae laxatur tiberino in margine vbeda.* *

(* Vehiculum, quo urbis purgamenta in Tiberim projicienda quotidie asportantur.) Vide etiam Sat. XIV. v. 301.
 Moribus etiam non admodum honestis plerumque habentur
 de iis vide permulta apud Q. Sectanum Sat. 14. & 16., ac
 Satyrographum Salvatorem Rosa.

186 SERMO QUINTUS.

315 Prosecisse vident, factō jam sine quiescunt
Inter se: & memores hominum commercia vītātē,
Ingenium mutantque ferac, TERRORE MAGISTRO.

CONSILIO
APOLLINIS ET MUSARUM
IN GRAECULOS SUPERIORUM SERMONUM
OBTRECTATORES.

SERMO SEXTUS.

SOLUS uti soleo, nisi quod me passibus aequis
Mille sequebantur mea per vestigia curae,
Ibam trans Tiberim, Roma fruiturus ab alto
Vertice Janiculi, caelumque hausturus apertum.
5 Cum meus occurrit mihi Faustulus; & procul: Ecquid,
Si jucunda fero, laetus si nuncius adsum,
Non solves aliquid? Solvam, ni me improbe ludis
More tuo; nam quid misero jam linquitur? Atqui

Vers. 4. *Vertice Janiculi.* Id nomen editori colli, qui rotam despectat urbem.

V. 5. *Cum meus occurrit mibi Faustulus.* *Faustulus, Eurindus, Myraeus,* tres Arcadiae pastores amici auctoris, sed perinde ac ipse auctor sub fictis nominibus occultati. *Faustulus*, fortasse *Paulius Vanninius Romanus, Rolli poeta sodalis*, atque extemporali cantu celeberrimus. *Eurindus Franciscus Maria Gasparrius Romanus*, in Archigymnasio Romano juris utriusque doctor, atque amplissimi Card. *Hannibalis Albani Auditor*, ut vocant. *Myraeus Rophaeticus Joseph Michael Morejus Florentinus*, tertius ab Arcadia custos ac moderator.

- Cursor, Apollinea nuper qui venit ab aula,
 10 Parrhasiae tulit optatissima gaudia, pubi,
 Quae te audita juvent. Quae vero gaudia sodes?
 Fare age. Quin, ait, ascendamus, & omnia disces.
 Dum gradimur, propere soleas agitabat anhelus
 A tergo Eurindus, tam fertile pectus honesti,
 15 Quam gratum Musis; subitoque, superveniens, se
 Adjungit lateri. Post hunc Myracus acutum
 Excreat: admoniti subsistimus, & comes alter
 Additur, exemplum linguae sine labe fluentis.
 Auctus erat Capitum numerus, verum tamen una
 20 Mens erat. Officii paucissima verba. Subimus
 In sublime jugi, & circo considimus amplio,
 Spumea marmoreo ludunt ubi flumina labro,
 Pensilibus deducta viis a fonte remoto.
 Tum prior, arridens blande mihi, Faustulus infit.
 25 Sectane o magno non inficijande Parenti,
 Maete animo: Accepta si clade, ferociter arma
 Rursum, & bella parat mendax & adultera virtus;
 Pars hominum melior tibi militat, & tibi multum
 Debet. Ab Etrusca nil jam tibi faece timendum.
 30 Incolumem quem jura volunt, quem causa tuetur,
 Protegit & quicumque oculos non perdidit ambos;

V. 10. *Parrhasiac.* Arcadicæ. Nemus aedibus immitens, ubi
Christina Suecorum Augusta incolebat.

V. 22. *Spumea marmoreo.* Fons est in Ianiculo summo magnifici & præclari operis, mira aquæ longissimo emissario derivata.

V. 25. *Sectane o magno.* Id ideo dictum, quia Q. *Sectani* filium noster poeta se nominat.

Ipsaque terribili defendit Gorgone Pallas.
 Quid age: nec magni posthac suffragia Phoebi
 Optabis; litem medius namque ipse diremit;
 35 Amplius instandi sublato jure. Itane, inquam,
 Vicius? Horrendique rota, & gtrunnitibus hostea?
 Nil potuere? Nihil; nec fletunt talia Divos,
 Ille refert; Vetus quo res evaserit, audi.
 Stigmata quae tulerit duro Cesellius ore,
 40 Montanos Lituos cum Pimplae ad flumina vexit;
 Utque illo dicente, novem obriguere sorores,
 Et manibus clusere aures, obscoena vomentem
 Indociles ferre; Hinc satyros clamore vocatos,
 Plenum ignominiae, & multa vibice tumentem
 45 Exegisse procul; Res est incognita nulli,
 Cantaturque palam, & Thuscis servatur in actis,
 Si pateris, Myraeus ait duo verba. Profundas
 Nuper ad Eumenides Cesellius ivit. Ain tu?
 Sic est; & Medico lituos ex asse reliquit,
 50 Mortis legitimae pretium. Nam livida terga,
 Ossaque contusa, & vestigia caetera fustis.
 Excusare volens; dirum per corpora fluxum
 Causabatur, & articulos humore dolentes
 Aridus; Ast illi sua sic mendacia tandem
 55 Permagno steterunt: fingentem talia quippe,
 Incisa vena, & validi medicamine succi,

V. 36. *Horrendique rota*. Solemne id poreis irritatis, ut in orbe se agglomerent, et medium accipient, quem dilaniare valunt.

V. 40. *Montanos lituos*. Obscaenissimo carmini, quod contra hosce Sermones Cesellius, hic erat praefixus titulus *Piffardi Montagna*.

Credulus occidit Medicus ; nocuitque medendo.
 Ah ! miseror : male salsus ad haec Eurindus , & ore
 Tertius : Oh ! factum male ; quod non exitus illum
 60 Qui decuit , tulit , & meliori funere dignum
 Carnifici eripuit Medicus ! Ne talia ; quae so ,
 Faustulus increpitat . Qui cassum lumine vitae
 Versiculatorem foedum vulgavit ; inepta
 Saepe & vana refert ; semper contraria vero .
 65 Quicquid id est , faciem pugnorum grandine fractam ;
 Tergaque verberibus saturata a monte tulisse ,
 Id non ambiguū est : Illum & videre carentem
 Dentibus ; & vitta cīngentem sinciput alba
 Pastores Arni . Verum , ut quemcūmque dolentem
 70 Oblectat socius ; divisaque poena levatur ;
 Dissimulat probum catus , atque alia omnia fingit ,
 Si forte inveniat fatuum , qui Numinis aulam ,
 Tantundem ut referat ; velit accusator adire .
 Cur non ? Se magnis auditum plausibus illic ,
 75 Se multa donatum hedera ; laetisque remissum
 Auguriis : nil non sperandum Judice Phoebo .
 Quid moror ? Artificis fraude , & sermonibus uncis
 Graeculus abripitur , quo non petulantior alter ,
 Nōmine Thymoleon . Quale hoc mi Faustule monstrum !

V. 75. Hedera. Hedera poetarē eximii donabantur ; quod aeternitatem & immortalitatem carminis designet perpetuus ejus viror . Hic translate magnis laudibus cumulatum . Virg. Ecl. 7.
Pastores hedera crescentem ornate poemam.

V. 79. Nōmine Thymoleon . Sub hoc nomine edita est probro-
 sisca Menippaea , carnem male latitum , in quo pessime ba-
 buntur Jesuitae , ac si ipsi universe in Lucii satyras consipa-
 rassent , ipsiusque veluti ore loquuti fuissent . Porro hujus
 Me-

- 80 Tymoleon? nomen terrendis matribus aptum,
Et natum lamiis sacra int̄ē murmura dici
Horresco: Et vereot ne prima in carmine peccet
Syllaba. Quid refert? ego Thymoleonta tacebo
Propterea? Ergo Thymoleon (veniam date verbo)
85 Grandia facundae latus rūs p̄aemīa linguae,
Alta petit Pindi, glabroque a Nūmine poscit
Audiri. Genius, sacrae custodia Cirrhae
Cui data, Tyrrhenis de finibus irrequietum
Adventasse monet Rabulam, cui plurima contra
90 Sectanum: Anne iterum Cesellius? inquit Apollo:
Huc Satyri, huc adsint propere cum fustibus: Eia
Arcete hinc caput invisum. Sed Thymoleontis
Nomen ubi auditum quod, ait, genus hoc bipedis? quo
Ore? quibus pannis? Fusco ore; & corpore sicco,
95 Quale decet, quem dira fames, scabiesque, pedesque

12

Menippeas auctor fuit idem *Cestellius*; sive *Joannes Latinius*,
impudentissimis enarrationibus adjectis.

V. 81. *lamiis*. Strigibus, seu veneficis mulieribus.

V. 83. *Syllaba*. Prima in *Thymoleon* forte brevis est, sed producitur hic necessitate metri.

V. 87. *Sacrae custodia Cirrhae*. *Cirrha* in Phocide ad radices Parnassi: jugum musis sacrum.

V. 89. *Rabulam*. *Rabula*, vilis causidicus, locutulejus, blatero, &, ut ait Gellius-lib. 19. c. 9, *clamator tantum*, & *facundia rabida*, jurgiosaque pollens.

V. 94. *quibus pannis?* Scires vel ex hac graphica descriptions non latuisse Sectano, quis esset verus *Thymoleon*. Est notable, quod nihilominus ejus nomini pepercit. Sectani modestiam conseras velim cum adversariorum immanitate.

Certatim absunt: Laceris male fultus alutis;
Ispidus, & foetens, miseri speciem exhibet Irius;
Erectus tamen it collo: Petulantia buccis
Eminet, & rabies, & major paupere fastus.

- 100 Permitte accedat: Meliori montis in herba
Imberbis, Judge aurato rite sedebat.
Inmixus plestro: Per eburnea colla humerosque
Purpureae ludunt vittae, crispataque leni.
Caesaries Zephyro, quam roscida laurus obumbrat.
105 Molle fluit dorso: Succinctae hinc inde sorores
Assidunt: Cithara haec gaudet, lituo illa nitenti,
Altera arundinibus, quarum est concordia discors:
Omnes virginem spirant & amabile quiddam,
Unde loco decus, & sancti velut aura pudoris.
110 Ad latera assurgens viridanti sylvula myrto
Halat odoratas animas, hederaeque sequaces
Implicitae lauris, nulla quas educat arte
Mite, solum, pulchrae referunt spectacula scenae,
Qualia Telegoni colles, vel Tuscula Tempe,
115 Sed sincera magis, nullo violataque luxu.

Huc dum Thymoleon subit, & se cominus offert,
Horriblico aspectu visae expallescere Diuae,
Turbarique: Ut cum volucres videre pusillae
Bubonem informem. Trepidis consistere jussis,

- 120 Delius his illum dritis prior occupat. Hens tu,
O qui-

V. 97. miseri speciem exhibet Iri. Irius mendicus fuit Ithacensis. Haec paupertas abicit in proverbium, ut hominem extremae inopiae Iro pauperiorem dicamus.

V. 114. Qualia Telegoni colles. Colles Tusculani. Telegonus enim cum imprudens patrem Ulyssem occidisset, Ithaca reliqua, Italiam venit, ubi Tusculum condidit.

- O quicumque venis Musarum incognite regno ,
 Nec mihi vise prius , nisi forte Amphrysia quando
 Pascua servabam laetus de Numine Pastor ;
 Tunc etenim multos hircos vidisse recordor :
 125 Quem mihi Sectanum finges ? quidve oggeris ? ad rem
 Nil equidem expecto . Nam quis nisi luscus ab ira
 Accusat Vatem , qui non sine Numine nostro
 Doctrinam asseruit veterem , fucoque carentem ,
 Disjecitque dolos , quos pridem invexerat ardens
 130 Multorum ambitio , & facili secordia gaudens ?
 Num non ingenue scripsit , studioque juvandi ,
 Qui Rullos ideo , Cithisosqne effinxit , inanes ,
 Et sine re voces , ne corpora viva feriret ,
 Et timide morbum , salvis compescuit aegris ?
 135 Si nihil est quod te pungat , cur stulte laboras ?
 Sin tu Rullus es ; aut Cithisus : praebere monenti
 Debueras aurem , & colaphos laudare salubres .
 Cur defendere delictum , quam vertere mavis ?
 Verum age : qualiacumque feres , praestabimus aures
 140 Scilicet , & Phoebum non experieris iniquum .
 Thymoleon contra , rugis nil territus illis ,
 Durius os incude gerens , solidoque adamante :
 Improba Gens , inquit , Patrem quae jactat Iberum ,

V. 122. *Nec mibi vise prius.* Respexit ad notissimam fabulam ,
 qua Apollo dicitur olim Admeti Regis armenta pavisse pro-
 pe Amphrysum in Thessalia .

V. 132. *Qui Rullos ideo , Cithisosque.* Neminem viventium
 suo designavit nomine L. Sectanus . Sed ne ærem verberare
 videretur , personas induxit commenticias & fictas , vocibus
 adhibitis , ut ipse ait , inanibus , quibus scilicet nullus mor-
 talium continetur .

V. 143. *Improba Gens.* Quæ hic subjiciuntur , petita sunt ab
 TOM. III. N

- Et pullo ad talos circumvestitur amictu;
145. Improba, & est inimica bonis, scelerata, nocensque,
Digna cruce, exitium terrarum, & dedecus aevi.
Odi ego portenta haec, famaque opibusque vigere,
Perque aulas grassari omnes, floremque Juventae
Legibus informare suis late omnibus oris;
- 150 Valdius id me discruciat, quam fascia ruptum
Ventriculum cingens, atque intestina coercens.
Nulla fides illis, nulla est reverentia legum:
Amentes, indocti omnes, sceleramque magistri,
Depravatores morum, stolidique, asinique,
- 155 Furciferique, ultraque hominum commercia, si fas,
Avverruncandi. Quorsum haec? secum inquit Apollo,
Attollitque simul scapulas, & contrahit ora,
Attonito similis. Nulla est tam noxia pestis.
Thymoleon pergit. Nam quod ferale sine ipsis
- 160 Flagitium? Quae seditio? quae tristia belli
Semina, non inflante tubam Tibicine nigro?
Nil mirum est igitur, si Gens abstemia tales
Summovet exilio, Odrysiis & finibus arcet,
Non secus ac porcos. Sed quae jam natio non hos
- 165 Devovet? aut quis non magis angues diligit? Ipsi

ipsa *Menippaea*, quod carmen rotum est contra Jesuitarum Ordinem.

V. 161. *Tibicine nigro*. Seditionum omnium, omniumque malorum Jesuitae in causa sunt. De quo cantiunculam quendam prodiisse memini.

V. 163. *Summovet exilio*. Jesuitis criminis vertit Thymoleon,
quod & Turcae vino non solum, sed etiam suillis carnibus
abstemii, & Japones illis apud se domicilium non permittant.

Pottenta haec hominum execrantur, Japones, ex quo
Sub pedibus posuere erucem, sanctamque jubetur
Calcare effigiem veriens a Gadibus hospes.

Interpellandi locus hic fuit. O bone: quo te

- 170 **Præcipitem malus ardor agit?** quæ somnia narras?
Quo diversus abis? Magnus te livor adurit,
Ut video: At nostrum quo tandem crimine Vatem
Accusat? Age: dic aliquid, si tanta libido,
Contra Sectanum: Namque id res postulat unum,
175 **Unum id tempus agi.** Sic Delius. At temulentus
Progredieus porro, & quo cooperat impete pergens:
Pulchre Arnaldus, ait, pulchre Paschalius illos
Exagitant libris aeternum in nomen ituris.
Gastigantque artes, & dignes vindice mores?
180 **Nec sinem Blatero facies?** Auctoribus illis
Occidit ante diem Turnonitis, impietasque,
Atque superstitionis terris insedit Eois,
Psittacus unde loquax, & pictæ copit testæ.
Cornicaris adhuc? Crabronum murmurare victus

V. 167. **Sub pedibus posuere cræcem:** Est. in ipso Urbe Japonicatur, ut fama est, effigies Christi, quam advenae Europæi pedibus proculare jubentur.

V. 177. **Pulchre Arnaldus,** ait, **pulchre Paschalius illos.**
Damnatos istorum libros multum extollit Thymoleon, eosque
jam aureos, jam utilissimos aperte vocat.

V. 181. **Occidit ante diem Turnonius.** Quaecumque de Cardinali
Caroli Thomae Turnonii obitu; de Confucio, & aliis
Sinicis rebus olim contra Jesuitas ad hanciam usque vulgata
sunt, ea Thymoleon simul congerit in causa Sarvaram, &
L. Sectani, ad quem minime pertinent.

V. 184. **Cornicaris adhuc?** Cornicatum instar crocitando adhuc
inepte effutis? Penius Sat. 5. v. 12.

. . . Nescio quid secum grave cornicaris inepse.

- 185 Maximus Albanus, cerebrosam Pontificali
Fulmine disjecit Sectam, caeloque ferentes
Praelia Titanas fregit, civilibus unde
Turbinibus patefacta via. Irretire juventam
Qualicumque modo: Obsequiis fallacibus orbos
190 Praedari vetulos, tabulasque vorare supremas,
Fallere, graecari, pietatem fingere collo,
Furari, atque ipsos in foenore ponere Divos,
Hoc primum didicere Patres. Pejora volebat
Dicere, & illa pudica parum: sed talia bucco
195 Jussus habere sibi, & stomaco servare capaci.
Scilicet effrontem jam dudum passus, & extra
Propositum errantem, collecta turgidus ira
Non tulit ulterius maledicere. Divus Appollo:
Inque pedes surgens, ut plestram forte gerebat,
200 Impulit, & misero vocem interclusit hianti.
Ille quidem oxyus avertens, tergo excipit ictum,
Prosiluitque fuga: At non se tenuere Camoenae,
Quin subito arrestae crepidas jacerent fugientis.
In caput, & costas, & palma utraque sonarent.
205 Ut si quando amens media saltare subura
Incipit, aut clunes populo monstrare coruscas,

V. 185. *Maximus albanus.* En ipsa Thymoleontis verba. *Je-*
suisae in causa sunt, ut Clemens XI. Constitutionem Unigeni-
tus edat, & lacrymabiles motus in Ecclesia Gallicana ex-
citentur. Vide, quale criminacionis genus istud sit.

V. 205. *media saltare Subura.* Subura vicus est Romae de-
spicatissimus, Rione de' Moni, ubi magna dlimi meretricium
copia. Pers. Sat. 5. & Mart. lib. 6. ep. 66. Q. Sectanus
Sat. I. v. 112.

Incepit & famulum, media si forte Subura
Ambulet

Romani pueri longis clamoribus illum
Exagitant, thyrsique volant, & putrida mala,
Complosaeque manus fugientem, & sibila trudunt.

- 210 Vix elapsus erat, placido cum Cinthius ore
Affatur socias. Nulli est, reor, abdita vestrum
Lis nutu dirimenda meo. Fit Lucius ausi
Sacrilegi reus, in fraudes quod strinxit acutum
Auspice me calamum, & mordaci aspersit acetum
215 Quotquot inane gerunt nomen virtutis, & umbram;
Maxima quae turba est hodie. Parnassia jamque
Advenere juga Etrusco de littore bini
Accusatores. Audistis qualia coram
Attulerint: vestras temeravet ille tacendis
220 Propudiis aures; maledicis perculit alter,
Ambo extra rem. Eoyolae generosa propago
Peccat multa: Quid hoc Sectanti ad carmina? quippe
Istud agit falsos cum verberat ille disertos,
Sint ne alii sontes, aut sint sine crimine? Causae
225 Argumenta malae convicia! nec melior qui
Tsansgrediens causam, fertur per devia. Quid jam
Tam facile, ac Asinum quemquam intuquumque vocare,
Latroniem, fatuum, scelerosum, & caetera! Sed cui
Inconcussa manet ratio, & facundia vivax,
230 Abstinet his animi quae produnt ulcera laesi,
Semper & invalidi censemur militis arma:
Ergo dissidit & rizatum si quid ego, & vos

V. 208. *thyrsique volant.* Torsi di cavoli e melé fruscide.

V. 217. *Etrusco de littore bini.* Cesellius primo, & nunc iterum *Tymalox*, seu idem *Jeanus*. *Lutuine* utroque nomine.

- Possumus, haec esto finis. Sideratur utrinque
Post haec. Sit felix, & parva laude fruatur
435 Sectanus, spernatque hebetis deliria vulgi,
Laetus sorte sua. At foedus Cesellius, atque
Thymoleon furiosus, ab hinc ad saecula centum
Infames sunt, nullique leguntur honesto:
Conticuit Phoebus, laetae plausere sorores,
240 Scriptaque confestim viridi sententia libro;
Ad nemus Arcadicum celeri cursore volavit.
Famule, credendum est; hac cognitione peracta,
Vertendam rerum faciem? Sperabimus ex hoc
Posse verecundam fieri, aut demittere posse
245 Thymoleontem aures, & vulnus sumere vieti?
Nil minus, ille refert; fortasse & nonne sibi plaudit
Improbis, aut certe opaudit Cesellius illi?
Idque statim fatuo, ne mente obduret eadem
Corneus, in faciem pedens hominumque Deumque.
250 Quid porro abiciat, quem non turpissima rerum
Pauperies? Natus festas ubi villica Mater
Mulgebat vaccas, nucibus, madidoque lupino
V. 233. bucce resu floris. Judicium Apollinis de L. Sectano, ejusque accusatibus?
-
- V. 244. Posse verecundum fieri. Desperat poeta, judicio ab Apollinis atque peracta, propositaque sententia, vertendam rerum faciem, ac Thymoleontem verecundum fieri. Illud atque modo ad rem nostram epicaphium, vixi cuidam homini eucalato, minoris subsellii, ac nullius famae inscriptum, aptari posset;
- Qui giace Fra Dossiglio Garverio,*
Non pregate per lui, ch'è tempo perso.
- V. 249. in faciem pedens. Ad significandum Timoleontis immanem hominum, deorumque contemptum.
- V. 251. Natus festas ubi villica Mater. Iterum Thymoleon indis-

- Vomeris in spem creacebat puer. Inde revulsum
 Magna parens Vatum, & studiorum sedula nutrix
 255 Excepit, velut ignavum Florentia Fucum
 Laetas inter Apes, pulchro quae examine circum
 Pervolitant flores, & mellis dona laborant.
 Post ubi litterulas quatuor conamine multo
 Condidicit, patrium jam designatus agellum,
 260 Assumpeit pro falce togam, Paedotriba factus,
 Centuriasque docet Puerorum inflesteret Musam.
 Inde animam servat; suspiria multa daturus,
 Menstrua si cessest merées, primisque Calendis
 Sportula discipuli totum non afferat assem.
 265 Et tamen hic panem docilis mordere caninum,
 Potandam praebet cui sicca cucurbita vappam,
 Concilium late metuendum provocat, & quod
 Infensum nollet, censu qui gaudet equestri.

dicatur, sed adhuc ejus nomini parcitur. Si tamen haec vera sunt, quea quidem nos ignoramus, nec inquirenda putavimus, erravit *Leo Pasculus* Perusinus, ubi Scriptorem illum navicularii filium adpellat, ac deinde militem, postremo transfugam fuisse adficitur. Ortum habuit in oppido Sanctae Crucis ad Arni ripas in Hetruria, unde per jocum *doctor S. Crucis ab Atromo Traseomacho* adpellatus. Obiit *Lamius Florentiae* anno 1770. aet. suea 73.

V. 253. *Fasum*. *Exous* apis maiore corpore non mellificans, & consumens apium alimenta. Virg. Georg. 4. v. 168.
Igneum fucos prius a praeceptibus arcere.

V. 260. *Paedotriba* factus. *Pædagogus*.

V. 264. *Sportula*. *Pacta pecunia menstrua, præceptoribus dari solita.*

V. 266. *vappam*. *Vinum vapescens nequam, corruptum.*

- Filius hic terrae tam multis millibus ultra
 270 Bella monet, demens! bilemque ciere laborat
 Incassum, spernente levem Jovis alite muscam.
 Quid spes post haec? Calybum mollescere cernes,
 Communit silices, annosaque robora flecti;
 Non tamen hic pontificia de fronte remittet,
 275 Integer effracto nutet si cardine Mundus.
 Nescis, hen meseis, quali sit Graeculus ore.
 Omnia cum pereunt illi, jam morte propinqua,
 Ultima discedit petulantia: si modo probris
 Momento abstinet, gelidum dic esse cadaver.
 280 Oh utinam talca Nursina novacula tandem
 Eviret, & barham mente, Aeneisque vigorem
 Invideat!, raderent ahini, & migraret hiulco.
 De jenodeurtica, aut ego fallor. Nullus avitae
 Stultitia saltem supereraset filius haeret.
 285 Nec patrii amores extisso, Patre redissent.
 Nam fluit hoc vitium quoniam sanguinis, progeniemque
 Inficit, & quarto descendit eadusque nepotes.
 Ille quidem sua nunc agnoscit damna, doletque
 Intemperie & astribusq; drvesias sub, patore orimen.
 290 Sed quamquam strepidus corde, & formidine malorum
 Lubricusq; invictus Tprostretur marmore, scantis.
 Graddens asinus, & pergitque audax, & magna minatur.
 Voce, superculo. Quid vero postea? Phoebi
 Jussa valent, Infame caput jam quisque cavebit.
 295 Ingensque, veluti populo quem pustula sano
 Segregat, & suspecta luce facit esse timendum.
 Rumpeturque ira, simulans laeta omnia vultu.
 Recite, inquam: Tamen insonentes truculentam orationem
 Bellum, vexavitque oditis, & carmine dico.
 300 Heu! piget hunc illis a me fluxisse laborem,

Causa utcumque data: Oh demens, graviore reportit
Faustulus eloquio: Talem movisse tumultum
Si tibi vertatur fraudis, culparo licet
Suggestus homines, Praeconesque inde tonantes

- 305 In vita, & mores aevi, si forte homuli tres
Offendi: inde velint, & conjuratio fiat
Sed mitte hanc curam. Vilis dieteria Nattaengon
Magnanimos Heroas, & altae conscientiae laudis
Pectora non tangunt, somposi faciuntve mimores ambo
- 310 Talibus insueunt iam tum, cum missus ad Indos
Phosphorus Indorum. Fauci non paucaulerunt aucti
Vexati creverat tamen labori improbus illis uitio
Nutrimenta dedit, pectus & adversantia mille
Terrarumque, Erebique pericula velificati, subivit
315 Ingenteis implorunt clama, & virtutibus oratione
An vero nova sunt? & vero impugnata nostris
Quae modo Thymbeon recq' est clana omnia plus quam
Dipheta, & quod dulcis & compilata libelis dicitur
Non mouere prius bene vobis deusque. Gar, nimis
820 Plena Soloecismo, & multo scripta alpoboreis
Postremo, ut laudes, & nisus in laudabilis Augustus
Fruges vacant, ita sunt fatuorum p' telas quisque
Et nulli nocitura volant. Ergo Thymbeontis
Dum sapientia, Satyras maiusque & maledicta carabat
Acc, subiectio. Quid vero boetas Phoenicis
V. 311. Phosphorus Thymbeon. Jam sive scilicet ex tempore
Framisti Xantho id est quem Indorum phospherum Merito vocat,
poeta, quia primus in eas terras fidei lumen invexit.
Rumpentur
V. 318. Dipheta. Dipheta pallisunt caprae, quae Jovem ele
ctavit. In ea creditum est antiquissimas res suisse ab eo sequi
ptas, unde proverbio locus contra eos, qui vetustissimas res
& obsoletas narrant. Sic: Antiquiora dipheta narras.

- 325 Qam laudes. Aliqua est a laudatore scelesto
Suspicio sceleris. Similes Catilina Cethegos
Laudabat, nunquam Curios peccare timentes.
Garriat ergo licet fatuorum jure: Quis illi
Hoc jus invideat? modo foeda, & inania circum
330 Scommata portantem, quibus ulla est portio cordis,
Practereant, solique velint audire Lanistae,
Aut Lixae, aut Verpi, aut positis jam Mulio cistis.
Nec plus te moveant baulantis jurgia, quam cum
Clamitat in trivio querulis qui prandia vendit
335 Felibus, uda ferens dissecti omenta Caballi.

His mihi ille erectum dictis advertere jussit
Humida sublustra manare crepuscula caelo,
Pileolum monstrans tacitis sudoribus udum.
Ergo digredimur pariter, totamque remensi

- 340 Ad portem usque viam, divellimur. Atque ego paulum
Progressus, mercedem, inquit, pro nuntio habebis
Faustule: Cras ad me comites si adduxeris istos,
Spumauentem tobis Carracam, & crustula ponam,
Et multa inter nos labro nigrante serenus.

Quod non potest inveniri deinde inveniatur.

V. 332. *ang. Verpi, Endovi, agnibus verpas summa pars amputata est, & circumcisata.*

V. 334. *Clemitas in seculo. Sunt Romani, qui carnes equinas cum incondito clamore circumferunt, ad aleados seles.*

V. 333. *Opumamentis vobis Carracam: Casuum, ex quo fit Colata, optimum putant, quod ex Carraca insula devebitur.*

IN FATUOS

NUMERORUM DIVINATORES

VULGO CABALISTAS.

SERMO SEPTIMUS.

Nec tamen insanis spernes deliria vulgi, sed Philosophus, Rhetor, Vates, &c, quod magis Arcas Pingui dives agro, septena, & arundine clarus? Crede mihi Lycida: Vana est sapientia, caccas, 5 Velle per ambages, numerorum & vincula mille, Ut tibi pro minimo Romana det Alea numero, Aureolos plnsquam centum. Quid poscis ab artifex Eventus rerum ambiguos, casusque futuros? Quos prudens Deus involvit caligine densa, 10 Nulli scrutandos hominum, superumque? Age vero, Syderibus forsan fatalia nomina reris

ENARRATIONES.

Vers. 3. *Pingui dives agro.* Arcades, caetus litteratorum qui pastoritio gaudent nomine; at cognomen sumunt ab aliquo sive Thessaliae; sive Beotiae agro, qui ipsis excolendus attribuitur. Arcadum autem insigne est Syrinx; idest fistula, septem compacta calamis.

V. 6. *Romana id est alea.* Rocco di Roma.

V. 10. *Syderibus forsan.* Cabalam sibi efformant aliqui ex variis astrorum coniunctionibus, quae proinde observant diligenter, sed frugera.

Scripta legi, quae te faciant inventa beatum.

Inde calendārum tabulas, totumque fatigas

Manfredum Claviumq[ue] & quantum est Astronomorum;

15 Scilicet ut Triviae aetatem, mensemque, diemque

Conciliae apte, numerusque boni omnis inde

Exeat. Hinc etiam laudas commercia coeli,

Nec piget interdum summo de vertice teſti

Horrere ad Lunam. Quaedam & sarraca Bootae

10 Balbutis, quasdamque Hyadas: Tum denique certo

Astrorum coetu invento, Siculo Geometra

Turpius exultas, dominatoremque dici.

Nunc Martem, inde Jovem tauri inter cornua singis;

Quos tibi nil dubitas suffragia laeta daturos;

25 O caput helleborō dignum! Quid habes nisi siccum?

Hactenus a coelo tussim? Frustra vigilatas

Scinde miser chartas, Veneris vel trade maritos!

Sydera si possent speratam reddere sortem,

Ecquid cessaret Burgundius, aut sibi decesset;

Aut si de ea Cisus mutata, Suntius tumulatus

Accidit, ut in primis, quod dicitur, non posse

V. 14. *Manfredum, Claviumque.* Duo celebres Astronomi

Eustachius Manfredus Bononiensis, Accademiae Regiae Scientiarum

Parisienſis anno 1726. adscriptus, obiit anno 1739.

Christophorus Clavius, Iesuita Bambergensis, Euclides sui temporis merito adpellatus. Sub Gregorio XIII. ex Bontompagni-

rum praeclarissima familiâ, Kalendarium Romanum perfecit.

V. 15. *ut Triviae aetatem.* Lunae crescentis ac decrescentis

phasēs intellige.

V. 21. *Siculo Geometra.* Archimede Siculo celeberrimo Mathematico,

Spherae Armillaris inventore.

V. 29. *Burgundius.* Horatius Burgundius, Iesuita Brixiensis,

Auctoris tempore in Romane Collegio Mathematicus insignis,

ac Graecarum, latinarumque litterarum expeditissimus.

- 30 Ne tota excuteret coeli penetralia? At illi
 Semesae blatis tabulae, vetus, ac prope claudus
 Circinus, & rosa male tutus pyxide quadrans,
 Hoc dicunt, astris, vel non inscripta futuri.
 Ullis fata notis, vel sic inscripta fuisse.
- 35 Ut fugiant oculorum aciem semota, tubosque
 Vel centum ulnarum. Solem quis dicere falsum
 Audeat? Aeternis nimirum legibus annum
 Temperat, & totum spatiis aequalibus orbem
 Digerit. Ille inter brumas, & purpureum ver,
- 40 Inter, & aestatem ac mustum confinia ponit
 Debita, jam laxans, retrahens jam lora Phlegoni,
 Stellatumque iterans sua per vestigia cursum.
 Ille etiam toto dominatur in aethere, & omnem
 Errantem turbam violento turbine secum.
- 45 Torquet agens, terris variosque ostendere vultus
 Imperat, & vario campos aspergere rore.
 Hinc seu flava Ceres undas actura tumentes,
 Seu magis immeritos sit deceptura colenos,
 Sol tibi signa dabit. Disces quoque Sole magistro
- 50 Instantes pluvias, tempestatesque, gravesque
 Ventorum iras, & quae tibi cumque canebat.
 Tytirus, Ausonio leges cum dixit afatro:
 Multimque interierit, talca prae noscere possis

V. 36. Solem quis dicere falsum. Hemisticium id est in Virgilii Georgicis. Secundum Cicero. Accipitente Sicculo certior. V. 41. lora Phlegoni. Phlegon unus ex equis Solis; hic pro cursu Solis accipitur. V. 44. Errantem turbam violento turbine secum. V. 44. turbam violento turbine secum. V. 44. turbam violento turbine secum.

V. 41. lora Phlegoni. Phlegon unus ex equis Solis; hic pro cursu Solis accipitur. V. 44. Errantem turbam violento turbine secum. V. 44. turbam violento turbine secum.

V. 44. Errantem turbam violento turbine secum. V. 44. turbam violento turbine secum.

Ut rerum seriem, Marti an jugatur amico,
 55 Saturni an plumbo livescat nobile Sydus.
 Sed quis, cui modis sit cerebri unciola, aut minimum eorum,
 Solem posse putet tacitis illapsibus urnae
 Insinuare tavae, digitisque aptare tenellis
 Sortilegi globulis de concursantibus unum,
 60 Atque illum quem vis unum? Seio. Dixit in aurem
 Astrologus; sed Agonali qui pulpita circu-
 Evehit, & fatuis mendacia splendida vendit,
 Mille altis dicturus idem, & meliora, minutum
 Si dederint assem: Veterator scilicet effrons,
 65 Qui res cunctas suas, varia & discrimina pandit,
 Sed veneno morbos, juveni sed narrat amores:
 Parce igitur vana vexare indagine coelum,
 Si sapientia poque suos peragant sine libera cursus
 Syderas, in hos usus nequaquam condita. Vis tu
 70 Ventidios fieri, qui donos ante dies quam

V. 59. *Sorstellus*, *Sortilegium* vocat poeta puerum illam, qui numeros ex urga extrahit variis inclusos globulis.

V. 61. *Agonali*. Ejusmodi circulatores, qui Romae in foro Agonali, piazza Navona, vero similia semper preferunt, ut verum attinget aliquando.

V. 64. *Veterator* Cattulus, quis auctor: in astatia, ut scribunt Festus & Donatius. Gimire Finibus Acutum, veritatum, veteratorem, facile ut excogites, quomodo occulse sineesse, si non nullo secundum fallaxwoisidem.

V. 70. *Ventidios fieri*. Nomine a Juvenal despumptum Sat. 7.
 v. 199. ubi de *Ventidio Basso* qui genere piceis, ex Asculavna captiva natus, a Sibabebe Cai Pompeji patre in triumphum ductus, rhedarius primum, deinde mulio Caesaris dilectoris fuit a post eodem anno praetor & consul factus est; denique dum exercitus de Partibus triumphavit. Porro ad rem quod

Dueantur trepidae sortes, commercia vitantur.
 Conjugis, & natos pene obliviscitur omnes,
 Nec barbam radit, longos nec subsecat unguem.
 Nec peicit crines, nec amicis dicit ave, nec
 75 Est memor ipse sui? Sic totus in aethera migrat
 Parte sui meliore, meris & vivit in astris,
 Unde sibi duram mitescere postulat urnam.
 At postquam optatae dudum fluxere calendae,
 Et sors jejunum vacuumque ingrata reliquit,
 80 Tristitiam furor, & nebulosa silentia clamor
 Excipit; inclususque domi, ceu dira phrenesia.
 Quem rapit, aut stimulis domat iracunda Diana,
 Cursitat huc illuc caperata fronte, fsemeneque,
 Impiaque in superos, ignominiosaque verba
 85 Saepius intorquens, jam natos fuste requirit,
 Jam vetulum impacto denasat Mentore venimam,
 Ludum execratur, fortunam, sydera, ismetib[us] V
 Devovet: armigerum prorsus Corybanta putares.
 Hoc ego non faciam. Sed quid mihi denique suadeo?
 90 Somnia uti captem, faciunt quod aniculae & imi-
 Sutores caligarum? Ea vero insania tanto est

quod attinet, quaedam hujus generis exempla, quae poeta narrat, Romae conspicibantur, dum haec scribabantur, quippe ludo tecens iugecto, ex studiis hominum valde incensis

V. 82. *iracunda Diana*. Haec lymphaticos, seu furiosos & insanos efficere credita. Sic Ajax furiosus exitit apud Sophoclem. Pan etiam infestas habebat. Unde *Panice* tenses distis. Hor. Art. Poet. v. 454. Aut *fanaticus* estor, & *iracunda Diana*.

V. 90. *Somnia nisi captem*. Aliud Cabalae genus ab observatione somniorum.

Foedior, aetherois quantum splendoribus umbrae
Cimmeriae, quantum cedit nox atra diei.

Somnia, abortivo praegnantibus edita partu

95 A tenebris, indigesti excrementa cerebri,
Vile genus muscarum, animae pedentis odores,
Vos ne animos torquere hominum, & suspendere vota,
Delphica eeu responsa? Insomnes ducere noctes;
Et totum alterno lumbu cruciare cadurcum,

100 Utilius meliusque foret. Discedite ad imas
Ocyus Eumenides, frondesque revisite vestras.
Quae vobis sit habenda fides, muliercula dicet
Plurima, quae nocte aurigis, puerisque fabrorum
Cantatur, lepidisque implet flabellla querelis

105 Sed Ciane ante omnes dicet, de faece Suburrae
Foemina, quae diram esuriem pulsura tumentes
Saepe locat mammas, & non sua pignora lactat.
Dormierat Ciane, quasdam & sibi visa videre
Gallinas, circum sobole stridente minuta,

110 Augurium experreta capit, sortisque futurae
Indicium. Recolit solers capita omnia matrum,
Pullorumque alas omnes, & computat ungues.
Tum secum: En habeo numerum: Dii signa dederunt

Non

V 102. *muliercula dicit.* *Cani* *enculae* tunc circumferabantur hu-
jus argumenti plures, *flabellis* plerumque inscriptae. *Venta-*
ruote.

V. 105. *Sed Ciane.* Nomen desumptum ex Ovid. Met. 5. v. 412.
Inter Sicelides Ciane pulcherrima Nymphas.

Romae *Ciane* sumitur pro foemina mediocris fortunae, quae
Matrona videri praeoptat. Hinc celeberrima comoedia *Mada-
ma Ciana*. Hic pro foemina infimae sortis, cuius somnium
narratur, ejusque cum marito colloquium.

Non dubitanda mihi: ni sperno signa, dabunt rem.
 115 Sed nihil in loculis; & jam suo serica, prima
 Sarcinulas taedae, torqueum, & graciles armillas;
 Mons habet. In tota superest modo lectulus aede,
 Mensulaque, & cum fistilibus brevis olla patellis.
 Praeterea nihil est: Quid agat? Quartana Mariti
 122 Consilium dedit. Utque diu inter lina jacebat,
 Tanquam depositi, vestes clam pignorat omnes
 A soleis ad pileolum, braccasque iuniores:
 Suffectura tamen, pro vili unctaque lacerna
 Intextam argento, si Diis placet, ant scutulatas,
 125 Quae vice percellat grata nil tale putantem,
 Ut quondam in sulcis Serrano oblata potestas.
 Jamque aberat spatio lux quadragesima curto,
 Qua Capitolinus persolvit foenita Pollux
 Emicat in pectus. Cianae jecur: aurea jacque
 130 Textilia & Batavo peroussas pectine telas
 Mente coquit tumida: sibilejam Matrona videtur,
 Contractoque supercilio, colloque rigente, in

V. 127. *Mons* habet. *Mons* Pierio dicitur. *Roma* locus publicus, in quo deponuntur pignora ac servantur. Porro Ciane jam sibi duas vestes sericas nuptiales deposuerat, torqueum, armillas, atque alia.

V. 124. *Scutulatas*. Vestem intextam argenteam, se scutulis,
 ten segmentis intextis ornatam apud Juven. Sat. 28. 97. fatta a seccchi. De vestibus scutulatis vide Plin. lib. 8. cap. 48.

V. 126. *Serrano*. *Serranus*, cognomen. M. Attib. civis Romani, hominis frugi, iudea ductum, quod duos in agro sacereret, ad honores in re publica copassendos vocatus fuit, teste Plinio lib. 18. c. 3.

V. 128. *Qua Capitolinus*. Extrahebantur ex tempore numeri in
 Tom. III. O fo.

Vix modo finitimas , veteresque salutat amicas ,
Dimidio frangens verba imperiosa labello .

- 135 Atque subinde viro : Valeas mea vita : manet nos
Faustum aliquid : jam non clamabis oluscula raucus :
Novi ego : ne quaeras ultra , vivemus . At ille ,
Seu spes hoc faceret , quae praesentissima saepe
Extremis medicina malis , sive altera virtus ,
140 Convaluit citius , stratisque erumpere gestit
Ante diem . Hoc ipsum medicus probat : At bona conjux
Angitur : Heu palles etiam , boreaeque nocentes
Contristant coeli faciem : ne prodige vitam :
Sub tepido melius poteris centone latere .
145 Haec dicens , medico connivet , lumina torquens
Ignea . Dein quiddam accedens obmurmurat auri ,
Suppetiasque rogat . Sed quis non protinus omnes
Monstrarer dentes ? Medicus dum ridet , eo plus
Vir metuens technam , poscit femoralia . Tandem ,

foro Capitolino prope statuam Pollucis , idque quadragesimo
quoque die . Nunc vero in foro Montis Citoriori .

V. 129. aurea jamque Textilia aurea , broccati , ac telas Hollan-
dicas meditatur , quae magni aestimantur .

V. 134. dimidio . A mezza bocca . Ut dimidiis oculis , sottoc-
chio .

V. 136. jam non clamabis . Forte maritus Cianes vendebat ole-
ra , eaque per urbem circumferebat .

V. 144. centone latere , stragulo crassiore & villore ex variis
pannis consuto , quo pauperum lecti sternuntur . Schiavina .
Juven . Sat . 6. v. 121 .

Intravit calidum voteri centone lupanar .

V. 149. metuens technam . Dolum , fraudem . Ter . Heaut . 3. 1. 624
Falli te sinas technis per servulum .

- 150 Ne morer ulterius, rem totam ex ordine discit.
 At non putidulo rem transigit ille cachinno.
 Bile jecur subita intumuit, stimulosque pudore
 Subjiciente novos: hoc est, hoe perfida, clamat,
 Quod me palpabas dudum? pariterque misellae
- 155 Ploranti, frustraque etiam sperare jubenti,
 Insilit, & querno commitigat ossa bacillo.
 Non alium Cianae dederunt sua somnia quaestum,
 Quae corio jam facta suo sapientior, illum
 Saepe animo recolit baculum, neque somniat unquam.
- 160 Ast aliquis: mea non sunt somnia vana. Quid ergo?
 Demissae e coelo voces, & puta Deorum
 Alloquia. O salvus mihi sis dignate Deorum
 Alloquio, meliorque Numa, cui talia numquam
 Suasit Aricinis gaudens congressibus uxor.
- 165 Salve iterum, coelebs pretiosos culcitra ronchos
 Cuifovet. Himores, pudor hic facit, hercule! dignum,
 Cui totum in venas descendat & ilia Numen.
 Unde tamen, quaeſo, nosti de Numine? namque id
 Scire aveo. Dicam. Vidi Capitolia, vidi
- 170 Densum humeris vulgus. Fulgebat pegmate in alto
 Urna capax, alboque puer spectardus amictu
 Ducebat sortes. Tum vox audita fragoris
 Plusquam stentorei, horrendoque simillima bombo,
 Hos iterare sonos: Duo, quatuor, octoginta.
- 175 Excitor hic, gallo somnum rumpente, sed haerent
 Auditae voces animo, scalpunktque medullas.
 Est ne aliud? Nihil est, sed quid vis praeterea, omen

V. 171. *alboque puer*. Puer extrahens numerus urna alto fastigio posita, induitur veste alba, quae Romae insigne est pueris parentibus orbatis. *Orfanelli.*

- Ut coeleste putem , certe & prae sagia veri ?
 Mi certe nunquam hoc poterit de mente revelli .
- 180 Non potuit somnus tam belle haec fingere . Cur non ?
 Si nihil est aliud vigili quod pectore verses ,
 Si , dum Persa ferox armis Babylona fatigat ,
 Dum Mauros compescit Iber , dum Sarmata poscit
 Regem alium , studiis late scindentibus orbem ,
- 185 It Romana tuis sermonibus alea tantum ,
 Occupat & totas numerosa tabernula buccas ;
 Securusque adeo gelida quid cursor ab Arcto
 Afferat , hoc unum lento s agis inter amicos ,
 Mexica dum siccias udo carchesia labro :
- 190 Miraris post haec menti si multus oberrat
 Tarpejus , dum nocte jaces , stertisque supinus ?
 Nempe quod assidue vigilans tractaveris , illud
 Nocte solet tacita fallax obtrudere imago ;
 Legitimoque usu jam pene domestica cura
- 195 Sponte subit lectum , nulloque vocante recursat .
 Fulmineam inde hastam recubans quatiebat Achilles ,
 Hirsutaque jacens Nemeci in pelle leonis ,
 Ad Lernam Alcides Erymantiaque arva redibat .
 Rides ? Perge igitur miseri præcepta poëtae
- 200 Spernere & emotae ludibria mentis , amica
 Coelicolum portenta puta . Ridebimus & nos

V. 182. *Si dum Persa ferox.* Dum haec Auctor scribebat , Persae , Hispani , Poloni in armis erant , anno scilicet 1733.

V. 186. *tabernula.* Italice *Botteghino.* Plures Romae sunt hujus generis tabernulae , ubi collatae in ludum pecuniae , fide publica colliguntur , ac numeri , quos quisque elegerit , in indicem referuntur , data unicuique *Syngrapha* de solvendo focore , si ii extracti fuerint numeri .

Aere tuo , cum Romano perstrictus jambo ,
Vexabis muscas , aut fies naenia lusco .

Altera pars hominum strigili asperiore fricanda

205 Restat adhuc ; vanae dueti qui murmure famae ,
Mercantur numeros ingenti auctore superbos .

Horum ego sincipi ut parcam , qui somnia captant
Non sua ? Non faciam . Nam quis non perdere nasum
Malit , & auriculas ambas , quam ferre furorem

210 Serpentem late , & grassantem impune per urbem ?

Ergo quod hirsutus venerando de grege Doctor

Hos numeros dedit , aut crispis Virguncula vittis ,

Aut qui retruso vitam traducit in antro

Barbiger aediculae custos , latro inclytus olim ,

215 Accipis ut Coelo demissa ancilia ? Non si

Alter Pythagoras , non si daret Oedipus alter .

Nempe quod est nusquam , latet aequa lynxas acutos ,

Atque hebetes talpas , nec Davum objurgat Ulysses ,

Nec melior sophus est terram fodiente bubulco .

220 Finge tamen prodire datos . Quid postea ? Factum id
Consilio dices Chaldaeique arte magistri ?

V. 204. *strigili asperiore*. *Strigilis* instrumentum serratum ca-
niculatum . *Steggbia* .

V. 212. *aut crispis*. Ejusmodi vittis utuntur virgines deo sacrae ,
praesertim Lateranenses .

V. 214. *Barbiger aediculae custos* . *Romito* .

V. 215. *demissa ancilia*. Ancile scutum breve etat , quod pesti-
lentiae remedium fuit . Fertur Numae Pomplii tempore de coelo
decidisse , unaque editam vocem , omnium potentissimam fore
civitatem , quandiu in ea mansisset . De quo Livius lib. 1.
Dionys. 11. pag. 130.

- At quod saepe idem vano te lusit hiantem
 Augurio, hoc nihili pendis? Facit unica vatem
 Res comperta bonum, centum mendacia lippum
 225 Non satis ostendunt? Magicam sed porrige chartam;
 Nam fraus forte latet splendenti perlita fuco.
 Quae, superi, ambages, & quanta sphinge peractae!
 Solve precor nodos. Quid plurimus angulus? illae
 Quid, rogo, lineolae poscunt miro ordine ductae?
 230 Quid faciunt numeri circum in statione manentes?
 Scilicet hoc illi addendum, &, si forte redundet,
 Demendum toties, donec tibi calculus album
 Expediat numerum. O rerum stupidissime! Nonne,
 Si demas iterum atque addas, hac quemlibet arte
 235 Conficias numerum, quae sit nescius, & quem
 Prae reliquis optes studio scrutatus inani?
 Sic ergo falli gratum est aenigmate pulchro?
 Ejus oculos aperi, &, si sors tibi risit amica,
 Caelicolis grates age sanius, & Patavino
 240 Votivum argentum cum picta solve tabella.
 Jam ne igitur possum pulmone calescere parco,
 Cum fora, cum vicis omnes, madidasque tabernas
 Fervore dissidiis, altercantesque Quirites
 Pro cabalis video, posito & spondere paratos
 245 Pignore? Geneva namque haec advecta: Sed istam
 Hollandi multum laudant: Hanc littore in Anglo
 Edidicit recutitus homo, qui tangit acu rem
 Cum libet, & rapuit jam bis sextertia centum.
 O bipedium pecus! O scutica dignissima terga!

V. 247. *recutitus homo.* Curtus Judaeus, cui a glande resecta
 est cutis *Circumcisus.* Mart. lib. 7. ep. 29.
Nec recutitorum fugis inguina Judavorum.

- 250 Dicite , quid refert peregrino an littore solvant ,
 An magis in patria nascantur nugæ ? Adeone
 Gratus odor pelagi , & quidquid terra extera gignit ?
 Nec satis illud erat , vestes quod praecipit urbi ,
 Mittit & archetypas cerebrosa Lutetia pupas ,
 255 Ni doceant etiam nos insanire Britanni ;
 Atque utinam sic desiperent qui molle lupinum
 In trivijs mordent , qui felibus ilia vendunt ,
 Foemineique greges , digito qui denique nullo
 Trivere Aesopum ! Juris legumque peritus
 260 Peccat idem interdum , & nullo discrimine fertur
 Cum nucis emptore triplici qui nomine gaudet .
 Claviger alme , vetustatem quo sospite Roma
 Exuit , aetati invidiam factura priori ;
 Tot se se , ac tantis paulatim crescere sentit
 265 Molibus ! Haec etiam Latiali commoda genti
 Da Pater , ut , modo quae capitum vertigine centum
 Porticus ebullit , medicandis apta cerebris ,
 Latius excurrat , spatiusque ingentibus aucta
 Majorem admittat patefacta per ostia turbam .
 270 Quid cessas ? Crescit numerus tota urbe furentum
 Scilicet , inque meras cabalas abit omne cerebrum .
 Nec mihi jam pediti fas est incedere , durum

V. 261. *triplici qui nomine gaudent.* Titulo aliquo coeteris as-
 surgens .

V. 262. *Claviger alme.* Convertit se poeta ad Clementem XII.
 P. M. , & explicare conatur immane studium , quo tunc po-
 pulus Romanus in hunc ludum ferebatur , adeo ut multi , ca-
 balis conficiendis , aut enodandis , prope insanirent . Rogat er-
 go Pontificem , ut domum ad dementes excipiendo jam extru-
 etam , augear , atque amplifexet .

- Quin metuam scapulis aliquid , capitique nefastum ;
 Me rugæ occurrentum omnes , digitique loquaces
 275 Terrent : Ex altis pendent quoque fata fenestris ;
 Praecipites nam saepe ruunt , & ni abripio me ,
 Ilicet infernas abeo intestatus ad umbras .
 Alme precor miserere , & nostro occurre timori .
 Jam redeo ad te , mi Lycida , & si consilium vis ,
 180 Praecipio hoc primum , Romani ut commoda ludi
 Esse putas aliquod magnum & spectabile donum ,
 Quod tibi munifici facit indulgentia Regis .
 Ten fieri subito Croesum , cui macra supplex ,
 Rarus & in vacua suspirat pixide nummus ?
 285 Assuetumque diu soleas illidere saxis ,
 Et dare patriciis meritoria basia portis ,
 Protinus augeri titulo , conducere servos ,
 Picturis ornare domum , niveisque caballis
 Flaminiam terere , & temone urgere popellum ?
 290 An ne voluptatem potiorem duxeris ullam ?
 Ergo aliquid semper fortunae tradito ; Namque
 Est aliquid spes ipsa boni , pretioque parandum ,
 Sed modico , & quo non doleant sibi viscera dempto .
 295 Quo possis caruisse libens , hoc cedat in ambos
 Ternosve ; at sancti potior sit cura peculi .

V. 274. *digitique loquaces.* Bene digitos loquaces dixit , quia digitis silentium indicatur , irridetur , laudatur , designatur .

V. 286. *meritoria.* Non gratuita , sed quae lucrandi aliquid spefiguntur .

V. 294. *hoc cedat in ambos.* Numeri singuli parum aut nihil reddit emolumenti . At multum duo , multo plus tres , quartuorve , si tamen conjunctim fuerint ludo exhibiti . Hinc valgo ambo , ternosque usurpant Quirites .

- Nec sis tam demens, ut vitae praesidium omne
 In ludo ponas; velut Argentarius ille,
 Qui totam, stimulante mala prurigine lucri,
 Aediculam, fundosque, bona & dotalia moestae
 300 Conjugis, in schedas consumpsit, utrumlibet optans,
 Aut Rex, aut Irus fieri pauperrimus: at nunc
 Praetoris jussu viridi tegit ora galero,
 Damnatus voti, qua parte optaverat Irum.
 Multos, crede mihi, fiducia vana fefellit.
 305 Quod tu cumque tamen statues impendere ludo,
 Nil opus est numeros censore expendere cribro:
 Elige quem primum obtulerit mens, saepe futuri
 Provida, vel sors, vel puer infans. Optimus ille est,
 Quem supeti scripsere prius, quem fata secundant
 310 Candida: saepe tamen projecti, sordidulique
 Diis placuere, & quos hominum fastidia damnant.
 Usque adeo nihil est, quod praesentiscere possis,

V. 300. *in schedas consumpsit*. Id est in syngraphas, quas solutionis vocant, vulgo *Pagberd*.

V. 301. *aut Irus fieri*. Irus mendicus fuit Ithacensis, quem Ulysses domum reversus ut ex Hom. Odyss. 13. pugno interfecit. Hujus pauperitas abiit in proverbium ut hominem extreme inopem Iro pauperiorum dicamus. Ovid. 3. Trist. Eleg. 1. v. 42.
Irus erit subito qui modo Croesus erat.

V. 302. *viridi tegit ora galero*. Debitorum, qui solvendo non erant viridi galero, Auctoris tempore, Romae notabantur.

V. 306. *cribro*. Cribro judice ac censore numeros secernere.
 Translate dictum.

V. 312. *praesentiscere*. Idem atque praesentire. Plaut. Amph.
 1. 3. 29.
Nunc ne legio praesentiscans, clam illuc redoundum est mihi.

Nullaque venturi prudentia submovet umbras.

315 At postquam trepida generosus nummus aluta
Exierit, cave sis ne te tenuissima turbet

Specula, sollicito torquens praecordia morsu.

Quin age, finge datum ventis, mersumque profundo.

Nam, mihi si quidquam credis, corraderem centum,

Rara nimis res est, alboque simillima corvo.

320 Non ventis tamen ille datur, non ille profundo
Mergitur, usuram quamvis non reddat opimam.

Nam quodcumque bibit sanctissima Principis arca
In commune bonum rursus plena evomit unda,

Et refluit nostros congesta pecunia in usus.

325 Aspice quam laeto juvenescat Roma nitore,
Utque iterum septem gemino se se altior effert
Vertice, Reginam cultu testata superbo.

Aspice regifico substructa palatia fastu
Monte Quirinali, totamque albescere jussam

V. 314. *nummus aluta*. Marsupio pelleo, ex quo trepidanter
pecunia extrahi solet,

V. 316. *Specula*. Parva spes, ut recula exigua res. Cic. lib. 2.

Fam. ep. 15.

In communibus miseriis bac tamen oblatabar specula.

V. 319. *alboque*. Corvi albi admodum pauci reperiuntur, ut
etiam albae inter muscas rarissimae, unde proverbium italicum:
Raro, come le mosche bianche.

V. 322. *Principis arca*. Totum ludi proventum impendebat Cle-
mens XII., quem opportune laudibus effert poeta, sumptuo-
sis aedificiis aut excitandis, aut reparandis, tum etiam suble-
vandis populis, aere alieno pressis, quod etiam a Pio VI.
observatum vidimus.

- 330 Planitem serie murorum, & Tibure *seclo*.
 En adeo senium, majestatemque labantem,
 Ruderaque, Imperii monumenta aeterna vetusti,
 Vindicat audaci a caprifico, & gramine diro,
 Principis egregii solers vigilantia; nec jam
 335 Dimidios queritur currus, rictuque minorem
 Constantinus equum, magno spectandus in arcu.
 Quis jam templa Deum molimine structa recenti
 Explicet, aut certe tacitis erecta ruinis,
 Invidia contra aetatis, longamque senectam?
 340 Quid forā commemorem? quid strata immensa viarum?
 Quid fontes, undamque prius sine honore fluentem,
 Marmoreo exceptam labro, structoque theatro
 Praebentem Patribus spectacula digna Latinis?
 Adde urbes, adde & longo moerore redemptos
 345 Subsidio populos, quos nomina dira gravabant,
 Sed numerem citius vafri perjuria Rulli,
 Quam bona, quae nobis in communi Alea victrix
-

V. 330. *Tibure seclo*. Celebres lapidicinae sunt in agro Tiburino, *Travertino*.

V. 333. *Caprifico*. A ficu sylvestri, sic dicta, quia parietes carpit, & saxa discerpit, cum in muris innaseatur. Mart. lib. 10. ep. 2.

• • • *Marmora Messalae scindit caprificus*.

V. 336. *Costantinus equo*. Intellige Costantinum equo insidentem, atque in porticu divi Petri locatum.

V. 341. *undamque prius*, videlicet Trivii fontem. *Fontana di Trevi*. Quod opus magnificentissimum Clemens XIII. P. O. M. feliciter perfecit.

Contulit. Exiguo redimit sic quilibet aere
Delicias populorum, & sunt dispendia tanti.

V. 348. *Exiguo redimit sic quilibet aere. Epiphonema acomodatissimum. Mirum enim videri continuo debet quae & quanta ex Elementis hujusmodi tenuissimis confiare paulatim molitique homines possint.*

IN RERUM ALIENARUM

INSPECTORES

VULGO FICCANASI

SERMO OCTAVUS.

NUNQUAM pacatos coelebs mihi culcitra somnos
 Sufficiet, tota nec stertam nare, quoad non
 Invisos speculatores detruserit orco
 Jupiter, aut alius certe Deus. Hoc fore tandem
 5 Auguror; ipsa etiam quando penetralia coeli
 Ecfrontes adeunt, solidoque fores adamante
 Non obstant satis inquirentibus omnia, quin se
 Committant furtim superum in conclavia, quaque
 Parte Poli ambrosiam concoctam Jupiter alvo
 10 Deponat, qua parte Venus, qua Cynthia mingat,
 Observent: fatui tanta est petulantia nisi.
 Ah pereat, Superi, suspensaque de trabe terna
 Pabula det corvis gens impia, nata nocere,
 Insontesque animas ad tetram ducere restim.
 15 Nam quis nigrantem non malit cernere vultum
 Inferni Jovis, & ternos audire latratus

ENARRATIONES.

Vers. 14. *ducere restim.* In eam conditionem homines ducere,
 ut de suspendio sit illis cogitandum.

- Custodis, quam ferre oculos censoris iniqui
 Assidue vigiles, atque in statione manentes,
 Quosque sibi vellet, cornuta fronte puellam
 20 Cum servaret Aristorides? O tempora prisca
 Saturni! o frustra invidiosa Nepotibus actas!
 Cum neque murorum norant communia septa
 Mortales, nec continuatos rite Penates,
 Caeca quibus lectum monstraret rima jugalem
 25 Finitimo. Crudis habitabant cautibus illi,
 Unusquisque sui quaesitor, & arbiter, & Rex:
 Nec cum ructandas decerperet ilice glandes
 Horridulus senior, plena rubicundaque conjux
 Praeberet mammas natis poscentibus, aut cum
 30 Filia vicino succincta rediret agello,
 Qui crisperet, erat, secreto in cespite nasum,
 Igne calens coeco, & furtim connubia captans.
 Nec metuebat enim venatu fessa diana
 Virgineos nudare sinus in margine fontis,
 35 Abluere & niveos, secura Actaeonis, artus.
 Quid sit *Libertas* soli agnovere Priors;
 Nam simul urbanos: odiosa decempeda muros
 Metiri, & sanctis seps advigilare mariscis
 Caepit, & inumeros conductus pascere furnus,

V. 20. *Aristorides?* Aristor Groteti filius; ex eo Argus centoculus, qui Aristorides vocatus. Ovid. Met. 1. v. 624.

V. 38. *mariscis.* Marisca ficus grandior, sed insipida. A fructu bujas similitudine mariscae etiam dicuntur tubercula, quae podice oriuntur; moroidi, Juv. Sat. 2. v. 13.

Ceduntur sumidae medico ridentes mariscae.

Hic translate tamen sumitur pro tuenda faeminarum pudicitia, seu pro domo marita.

- 40 Protinus insonuit censoris virga severi,
 Ausa Senatorum leges indicere mensis,
 Et caenam Evandi Domino taxare palato.
 Nec timuit latos clavos, ac Patriciorum
 Atria, dimidiis atavis, tritavisque verenda,
 45 Concutere, ingentem si non aequaret honestas
 Fortunam, si frons non castigata pudore,
 Si non candidior tunica mens, purius aede
 Ingenium, si Socratici non denique mores.
 Debuit hoc forsan, nam coeca licentia vulgi
 50 Astra minus, currumque Jovis, sanctumque bidental,
 Quam torvam effigiem formidat, & ipsa Catonis
 Lumina, praesertim cum possit dicere: Quo tu
 Carnoso hoc utero? macro descende caballo
 Ilicet, aut cera scribebas caerite; durum,
 55 Sed tamen expediens, nec iniqua mente ferendum,
 Fabricio saltem, & Curio peccare timenti.
 At nunc o utinam Censoris jura valerent
 Legitimi! Praesens versa omnia protulit aetas.
 Namque ubi sunt, oro, quos facta aliena notare

V. 50. *Sanctumque bidental.* Quidquid de coelo tactum esset,
 quod binis bidentibus expiatetur, *bidental dictum*, & locus
 fulmine iactus, ut pote, sacer, sepiiri & claudi solitus. Pers.
 Sat. 2. v. 27. de homine fulgurito.

Triste jaces lucis, evitandumque bidental.

V. 54. *aut cera Scribebas caerite.* Inter notas censorias ea erat,
 quod si quis improbis moribus esset, vel equum suum pu-
 blicum male pastum habuisset, *caerite cera*, aut infamia no-
 toretur, ab *Caeracae oppidi* incolis, hodia *Cerveteri*, qui jure
 suffragii prohibebantur. Hor. lib. 1. ep. 6. v. 62.

caerite cera

Digni

Hoc est, infamiae nota digni, ut *Caerites, Cervatesi*.

- 60 Lex jubet, & sontes rigida compescere virga?
 Lippi omnes; seu quod nolunt macrescere, seu quod
 Aspexisse timent, quod castigare laborent.
 Inde etiam toto nitidissimus oscitat anno
 Ventidius, nitidamque cutim cum sesquipedali
 65 Curat aqualiculo, quid tota Paroecia peccet
 Securus, quid agat cum molli Naevia Barro,
 Sola domi, vicumque terat cur spissa juventus.
 Nec nisi cum Sanctae Hebdomadæ venerè calendas,
 Et minimo prostant Haleculæ, & ova Siluri
 70 Rancidula, optatam, Lanio reserante, tabernam
 Huc illuc tunicatus abit, lustralibus undis
 Expurgare domos, ovisque indicere bellum.
 At gliscit contra seges importuna virorum,
 Quos privatus amor, rabiesque insana perurit,
 75 Alterius penetrare domos, & facta videre
 Non sua, tamque oculis ea contemplantur acutis,
 Quam non aut Jovis Armiger, aut Epidaurius anguis,
 Quoque magis doleo, quibus est nec vinea, nec lar,
 Parcitur; ingenui petimur, nasumque procacem
 80 Non fugimus: septem non observata maritos

Quo-

V. 64. *ventidius*. Nomen commenticium a Juven. Sat. 7. v. 159; & a Q. Séftano Sat. 8. v. 129. desumptum. Porro ventidius hic, quicumque tandem sit, quemque auctor sale aliquo fricat, quamvis Parochi munere fungeretur, in sola ramen cute curanda, abdominalique suo sesquipedali serviendo plus aequo operatus, ut phrase Horatianæ utar, dies insumebat, nil de Paraecia sollicitus.

V. 68. *Nec nisi cum Sanctæ*. Tempore hebdomadæ Majoris, qua minimo prostant haleculæ, *Alici*, & ora Siluri, *Caviale*, de quo Juv. Sat. 4. v. 32. Ventidius tunica alba indutus, aqua lustrali domos, ac tabernas expurgat, ovisque bellum indicit.

- Quotidie lassat turpis meretricula: virgo
 Quod tetigit cristata marem semel, aut iterum, non
 Delituisse potest; digito monstratur acuto
 Turgidulus venter; vitiati signa pudoris
 85 Nec satis occultant sinuoso syrmate vestes,
 Et doctus praegnantem uterum defendere turbo.
 Multa quidem passim occurrunt carbone notanda,
 Ipsi quae possint lippi, nigrique videre
 Tyrones, quanquam multus tegat ora galerus.
 90 Res est trita nimis, fabellis addere divos
 Quintilium, tabulasque superstitionis vocare
 Nomina, & irati ridere tonitraa coeli:
 Graecari Cithisum, frustra poscente puella
 Jam grandi dotem, fundosque vorare paternos,
 95 Atque una totum populari lance macellum:
 Umbricum contra, quamvis pede jam premat uno
 Cocytii cymbam, congestis addere acervis
 Divitias quascumque potest, & parcere capsis,
 Ut sacriss, locuples nimirum ut rideat haeres,
 100 Cui non auditum? Mimi, lanii, cerdones,
 Nedum tonsores, calabri perjuria Rulli

V. 86. *turbo*. Translate: vestium congeries utero praegnanti celando apta.

V. 88. *nigrique videre*. Tyrones Jesuitas intellige, qui veste nigra induebantur, caput amplio galero tegebant, ac demissis oculis incedebant.

V. 99. *ut sacriss*. Quae, ut sacra, considerat, quaque timet contingere. Hor. lib. 1. Sat. 1.

*Indormis inhians, & tanquam purpureo sacriss
 Cogitis, & pictis tanquam gaudere tabellis.*

TOM. III.

P

- Noverunt, podagramque Titi de fornice oлentem;
 Quasque inimicitias habeant de virgine Crispus,
 Et Labeo, malesani ambo, cerebrique minores.
- 105 Publica cum sint haec, nolle tamen ipsa videre,
 Praetendoque manum fronti, cum forte Cuminus
 Transilit, aurato impellens temone popellum,
 Quem nuper madidum vidi mordere lupinum
 In triviis, digitisque impexos scalpere crines;
- 110 Atque idem exopto ceras Ithacensis Ulyssei,
 Cum Petus obscoeno ruatatur foeda palato
 Verba, verecundas factura rubescere moechas.
 Illos deinde feram, rictu qui cuncta canino
 Scrutantur, secreta licet, cursantque per omnes
- 115 Vicosque, plateasque, mala prurigine nasi,
 Stercoraque olfaciunt, & sorde morantur in omni;
 Lictorum similes, dubiam cum forte tabernam
 Certatim excutiunt, & tela ligustica quaerunt,
 Aut non legitimo percussa numismata proelo?
- 120 Me teneat potius promissi creditor aeris,
 Indicatque diem coram Praetore, minasque,
 Ni reddam, adjiciat, virgas, ergastula, furcam;
 Scilicet audebo minus expallescere, quam si
 Occupet incautum, atque oculis distringat apertis
- 125 Alpha inspectorum Codrus, durissimus, ecfrons,

V. 106. *cum forte Cuminus.* Cuminus nomen commenticum.
 Frequentes, Romae praesertim, hae hominum metamorphoses.

V. 117. *Lictorum similes.* Hisce versibus, atque aliis usus est
 Auctor in superioribus satyris, quod tamen illi vitio verten-
 dum non est, cum tandem sua iterarit.

V. 125. *Alpha inspectorum.* Inspectorum princeps & caput.

- Infestus, nostrique lues scabiosa cadurci.
 Nam postquam limis me designavit ad itum
 Luminibus, costisque haesit venaticus Umber,
 Ex illo innocuos Nec crudo pectore ructus
 130 Mittere, nec toto fas est mihi pedere lumbo;
 Nempe adstat, graveolentem animam captatque supinus,
 Et nasum hesternae cepae corrugat odore;
 Quin mihi, quod dominae faciunt ante ora catelli,
 Non licet abstrusa in cella; nam vix bene turpi
 135 Cotisedi in cathedra, ventremque lacescere coepi
 Cunctantem, importunus adest: Absiste parumper,
 Exclamare libet, sed frustra: Irrumpit apertis
 Postibus, & mediis in faucibus excremémentum
 Suffocare jubet, miseras & perdere braccas.
 140 Post etiam fidum sese ultro jaclat amicum,
 Et Libertatis, quam puta Insubria laudat,
 Cultorem: valeant mihi vero semper amici,
 Quos latrina facit, spurcique licentia ventris.
 Quamtu[m]vis sit amor, longeque domesticus usus,
 145 Non ausim cuiquam sanctum mactare pudorem;
 Ipse nec Aeneas, quamvis communia haberet
 Omnia, dilecto coram mingebat Achate,
 Nec Pyladi monstrasse nates memoratur Orestes.
 Tu ne etiam blandi titulum, geniumque sodalis
 150 Affectas Ovidj, nostram qui admissus in ædem,

V. 128. *Venaticus Umber*. Codrum Auctor insectatur, vel quia revera Umber esset, vel quia similitudinem duxerit ex canibus venaticis, ex Umbria celeberrimis. Virg. Aen. 12.
 at vividus Umber
 Haeret bians

V. 150. *Affectas Ovidj*. Per jocum auctor inspectores Ovidio Nasoni sigile esse dicit.

Undique pervolitas, veluti fanaticus erro,
 Quem rapit, & stimulis domat iracunda Diana?
 Nec tantum pelves, & orentem ~~caulibus~~ ollam,
 Sed lasanum quoque odoraris, ~~cres~~ samque matellam
 155 Sollicitus, quin & pluteos, & scrinia vexas;
 Nec dubitas interdum oculis occidere chartas,
 Quas Beneventanus vetuit contingere Praesul,
 Non secus ac loculos? I, scabro consule mento,
 Debueras tenero quas discere ab ungue rubricas.
 160 Tu ne etiam Ulpidi, qui arrestis cominus adstas
 Auriculis, puer dum quiddam pronus in aurem
 Demitto, frustra in laxa luctaris aluta,
 Et Ligulam insontem crucias; nec vero tabellam
 Deprompsisse juvat, vultuque haerere minaci,
 165 Ceu Regum causas tibi grandis epistola narret:

V. 155. *oculis occidere chartas.* Oculos in chartas injicere, easque quasi festinanter devorare:

V. 157. *Quas Beneventanus.* Nec dubitas ea facere quae Johannis Casae Beneventani Archiepisc. legibus cavitur in suo illo perulgato officiorum libro: *il Galateo*,

V. 159. *Rubricas.* Metonymice rubrica est inscriptio, seu titulus earum rerum, quae in legibus infrascriptis continentur; olim enim, ornatus, ac distinctionis gratia, ut facilius apparerent legum tituli, & librorum capita, rubrica notabantur. Unde Juven. Sat. 14. v. 91.

Scribe puer, vigila, causas age, perlege rubras.

Hic tamen majorum praecepta ac leges de morum institutio-
ne intellige.

V. 162. *laxa luctaris aluta:* Molli & laxo calceo vane laboras incedere, ut audias, & ligulam, hoc est, partem in calceo, linguae instar, fastigiatam, crucias. Ovid.

Ne vagus in laxa pes tibi pelle natet.

- Verba miser captas facili pereuntia labro ,
 Jamdudum video: sed jam hinc te corripe , sodes ;
 Aut male dum quaeris , quae te nil scire necesse est ,
 Cogeris , minime quaevis , audire , & acutum
 170 Dum trudis quocumque caput , jam **Gammarus esse**
 Incipies , verso retrosum repere tergo ,
 Quem didicisse ferunt , causam cum forte alienam
 Pertentans , retulit pulsatum fuste cerebrum .
 Sunt etiam scutica digni haud fortasse minore ,
 175 Qui naſum involvunt , falſo pietatis amictu ,
 Praetenduntque Deos , ut janua nulla repellat
 Intrantes , liceatque adyto recipi interiore ,
 Et matronales jugulare impune cathedras .
 Hoc habet in primis quidam **Fraterculus Umber** ,
 180 Cujus habent censuram , & nomen opuscula centum
 Protinus a libri titulo , frontemque sub ipsam .

V. 176. *Jam Gammarus esse*. Seu cancer , qui cursu retrogrado ,
 atque transverso fertur .

V. 176. *Praetenduntque deos*. *Praesendere* est aliquid ante ten-
 dere , vel *opponere* , ve quae occulta , & tecta volumus adpa-
 reant . Hic , ut *vidas* , de *hypocritis sermo* est , qui multos
 decipiunt specie recti .

V. 178. *Et matronales*. Matronales sellas foedare , coipurcatae ,
 vitiare pro ipsis matronis .

V. 179. *Fraterculus Umber* . Respexit *Auctor* ad *Fr. Leonem*
a S. Felice , oppido Umbriae prope Spoletum , Carmelitanum
 exalceatum , vulgo Cacajello , cuius longae extant , idemque
 insulae adprobations ad *Historiam praeſertim Ecclesiasticam*
Hyacinthi Gravessonii dominicani , sacrae facultatis Parisiensis
 doctoris , & Collegii Casanattensis theologi , quae in unum
 collectae in lucem prodiere : arguta addita epigraphe , *ex un-*
gue Leonem ; quod ridiculum sane monumentum apud nos
 extat .

- Quid, quaequo, est vasro tecum, Telesina, crabroni,
 Quod facit assiduum circumvolitare? Nec illi
 Est certe facies, possit quae visa placere,
- 185 Immo etiam terret pueros, si forte per umbram
 Occurrit, possetque vices subiisse Priapi,
 Et praedatrices hortis arcere columbas
 Horribili forma, & septemplice bardocucullo.
 Quale & deinde Genus? Retinet vestigia marrae
- 190 Obdurata manus, patrioque senescat agello.
 Nunc etiam, immundosve greges ad pascua cogat,
 Culcitra ni faceret venerandum sacra. Quid ergo est?
 Caelicolum vultus, & vestem Matris Iberae
 Dat timido nivisse labro; Tum consilia imo
- 195 Instillat condenda sinu, quae nectare multo

V. 182. *Telesina.* Nomen cuiusdam Matronae Romanae ex Q. Sectano desumptum, quaecumque tandem sit.

V. 188. *septemplice bardocucullo.* *Bardocucullus*, seu *Bardoculus*, de quo Juv. Sat. 16. v. 13, sagum erat ex pilis caprarum, quo milites in castris, atque alii ad frigus, atque imbre arcendum utebantur, ut *Ferrarius de re Vest.* parte 2. lib. 1. c. 21; quae vestes in Gallia construebantur. Unde Mart. lib. 14. epigr. 127.

Gallia Santonicus vestis te Bardocucullo.

Sumebantur eae etiam in discursationibus, & ad dissimulandam personam. Hic tamen hyperbolice dictum pro tunica septies duplicata, similique cucullo.

V. 189. *Quale deinde genus!* vel ex ipsa descriptione facile intelliges, aliquid Leonem inter atque Auctorem, dissidiis intercessisse.

V. 193. *matris Iberae.* *Sanctae Theresiae a Jesu*, Hispanae, quae Carmelitarum Ordinem instituit. Porro Carmelitae ex calceati duplice tunica induuntur, quarum superior alba, ac duplice ad tunicae colorem cucullo; unde translate *nivisse*.

Diluit, ut blande subeant, placeantque medendo.
 Heu, inquit, Telesina, tuae me cura salutis
 Lancinat assidue, ut vellem te assurgere coelo
 Virtutum per iter, mediisque locare Deorum
 200 Ordinibus vultum hunc, quo tantum adcedis ad illos.
 Nam quid profuerit media duo sidera fronte,
 Et roseas habuisse genas, & eburnea colla,
 At titulo gaudere Deae, dum vesceris aura,
 Pars melior si forte tui, quem Numina casum
 205 Avertant, Diten, caligantesque videret
 Eumenidum thalamos, inamaenaque regna dolentum?
 Idcirco sapiens dirae contagia culpae
 Effuge, sitque prior sancti tibi cura pudoris.
 Prostituant aliae, niveas tu stringe papillas;
 210 Sint niveae quamvis, urunt, mihi crede, videndo,
 Immundisque fidem servat nix ista favillis.
 Praeterea cautas coxis superindue bracas,
 Ne subeat patulos titillans aura sub orbes:
 Quin catulos, felesque mares tetigisse caveto,
 215 Serpit enim damnosa lues; nec abiveris illac,
 Nuda ubi marmoreus monstrat praeputia Castor;

V. 198. *Lancinat.* Lacerat, vexat. Seneca epist. 32. *diduci-*
mus vitam in particulas, ac lancinamus.

V. 214. *Quin catulos.* Q. Sectanum imitatus Sat. XI. v. 52.
 $\cdot \cdot \cdot \cdot \cdot$ *crispis virguncula vittis*
Quae catulos felesque mares tetigisse vetatur.

V. 216. *Nuda ubi marmoreus,* Ante aream Capitolinam extant
 due statuae *Pollucis* scilicet, & *Castoris*. Cum Auctor haec
 scribebar, nudae erant, quam nuditatem Clemens XIII. P. O.
 M. reparari jussit.

- Nam facit invitam etiam prurire puellas.
 His super exiguum de lubricitate Juventae
 Depromit manica librum, quem pollice versas
 220 Quotidie, tacito resides dum sola cubili,
 Additur et teneris aptanda catenula lumbis,
 Grande pudicitiae columen, caestique mariti.
 Incedit interea sermo de conjugi. Multum,
 Inquit, maestus homo est; immo truculentior hydro,
 225 Difficilis, querulus, nullo sibi tempore constans.
 Ah quoties mallem crispis albescere vittis
 Parthenio in caetu, nullos experta hymenaeos,
 Quam tali nupsisse viro; mera jurgia semper
 Intonat; aut tardum dictis castigat ephebum,
 230 Aut miserum impacto denasat mentore vernam:
 Caetera si desint, canibus committere feles
 Gaudet, insanum prorsus Corybanta putas.
 Splendidus est tamen, & multum diversus avo, qui,
 Ut fama est, ungues resecans fragmenta perire
 235 Non sinit. Illudisne Pater? Minus arida pumex:
 Dicant natorum scapulae, queis trita lacerna,
 Et justo brevior, quartum jam ferre Decembrem.
 Cogitur: ancillae dicant, famulique, calendae
 Queis rediere decem frustra, totidem redditurae,
 240 Menstrua ni subigat stipendia solvere lictor,
 Inquirens patinas, & vasa rigentia signis.

V. 222. *caestique mariti*. Caestus clava erat, qua luctando
 utebantur Atletae, ex qua duo globuli plumbei pendebant.
 Hic translate *pro maritis*.

V. 230. *impacto* denasat. Vase aliquo impulso nasum auferit
 servo antiquo.

- Haec , & plura libens effutis digna taceri ,
 Quaeque , reor , furvo coram tortore negare
 Impavidus auderes vultu : Frustratur veterator
 245 Simplicitate tua , & graphice succedere technam
 Gaudet , & in lucro , quod sis tam credula , ponit .
 Scis hoc , & stomacho sorbes opprobria surdo ,
 Deque tuo duplice pateris videre cucullum
 Matrona ? Excute te , & culcitiferum balatronem ,
 250 Vervecem bipedem , nasutum cercopithecum
 Mitte procul : cunctaris adhuc ? Quid praestat in aula
 Servorum phalerata cohors ? dic calcibus illum
 Ocius incursant , pugnisque probe saturatum
 Praecipi faciant anabathra retexere saltu .
 255 Sed furit ecce Lupus , totamque pererrat anhelus
 Flaminiam , veluti cum circumstantia rupit
 Clathra Leo , aut funem excussit cervice Molossus .
 Sis salvus Lupe : quo tantum mihi praepes ? Abivit
 Galla domo nuper , cum nec de more praeiret
 260 Vernula , vixque citam sequeretur anicula nutrix :
 Hac , puto , flexit iter ; sed nulla hinc Galla videtur ;
 Certe illam venti , aut lemures egere volantem ;

V. 242. *Effutis*. Temere atque inepte verba fundis. Cic. lib. 2.
de Nat. Deorum: *Ita temere effutunt de mundo.*

V. 249. *culcitiferum balatronem*. Loquacem hominem , ferentem culcitram ; Hyperbolice dictum a duplice cucullo , & tunica .

V. 254. *anabathra*. Graeca vox ex Juven. Sat. 7. v. 46.
Et quae conduitio pendent anabathra tigillo.
 Hoc est gradus theatri mobilis , & orchestrae . Hic pro graduibus , per quos ad domos assenditur . Valet fargli rifare con un salto le scale .

V. 262. *lemures daemones nocturni , larvae*. Persius nigros le-
 mu-

- Inveniam tamen. Hoc est quod baccharis? At unde
Iste tibi labor insanus? Quid pertinet ad te
- 265 De Galla? Est tibi cognata, aut soror? Haud mihi quidquam;
Attamen abrumpor, nisi quas perrexit in aedes
Actum sciero. Pronum est mihi dicere, quod vis;
Dicam etiam, ne te maceres sine fruge, libenter;
Illam ego, secretos calles ut forte terebam,
- 270 Quos habitant curti Judaei, cum Salomone
Nescio quo vidi rixantem, ac multa querentem
Veste super vetula: Quid postea? Jamne beatus
Es Lupe? Nunc videor mihi respirare, neque ultra
Scire volo, grates habeo, jubeoque valere.
- 275 Huc tantisper ades, si quid cessare potes, nam
Te paucis volo, quae possim audita juvare.
Ecquid te palpas, & das tibi Maria verba,
Mi Lupe? Tu quid agant Gallae, Pollaeque laboras?
Tu potes offendri, quod pendet Aranea tigno.
- 280 Finitimi, & sordent conspersi pulvere muri,
Cum tua semodius scobis occupet atria, nunquam
Talares patiens transire impune lacernas?
Nunc age; quandoquidem nemo est hic arbiter, audi,
Si pateris, quae de te paucis ante diebus
- 285 Nescio quis cerebrosus ait, cum plurima circum

mures vocat Sat. 5. v. 185., quibus noctu infestantur domus.
Hor. lib. 2. ep. 2. v. 208.

Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures, portentaque Thessala rides?

V. 281. *Cum tua semodius scobis.* Cum medius modius pulveris occupet tuae atria domus. Ad eos respergit, qui in aliorum oculis festucam observant, in seipsis trahem non vident.

V. 285. *cerebrosus.* Ghiribizzoso, bizzaro. Q. Sect. Sat. 8.
v. 195:

Nam-

- Plauderet; & laxos agitaret turba cachinnos,
 Certe, inquit, Lupus iste brevi trudetur, ubi ingens
 Porticus ebullit capitum vertigine centum;
 Mortuaque incursat dementes bucula vivos.
 290 Num salis unciola est illi, qui negligit alvi
 Supplicia, & justas solo pro pane querelas,
 Albicet ut purae modio conspersa farinae.
 Caesaries, crassoque pedes, saturentur amomo?
 Cumque domi sit curta penus, cicerisque catillus
 295 Fictilis, & sectum macra cum conjugi porrum,
 Non bene jejuni redimant suspiria ventris,
 Se gerit externe pro Lydo Rege, Mydaque,
 Cuius habet tantum auriculas? Quid galbana prosunt,
 Asperaque argento tyrianthina, quique minore
 300 Scintillat digito longe spectandus Jaspis,

*Namque mibi videor cerebrosus, et unus
 Contemptor famae,*

V. 293. *amomo. Unguento.* Pers. Sat. 3. v. 145.
Beatus alto

Compositus lecto, crassisque luteatus amomis.
 Hinc recentiores *amomias* vocaverunt illud omnes, quo dea
 functorum corpora medicabantur, et condiebantur. Quod vul-
 gus detruncato vocabulo *momiam*, seu *mumiam* nominant.

V. 294. *Curta penus.* Penus accipitur pro quacunque re ad
 victimum necessaria. *Curta exigua.* Hinc curta fides, curta
 supplex, curta Minerva. Vide Enar. 124. ad Satyr. 4.

V. 298. *Quid galbana prosunt?* Veste sericea, rasiles, atque
 pellucidae, *Rasi*, quibus delicatores, molioresque utebantur.
 Juv. Sat. 2. v. 95.
Caerulea induitus scutulata, aut galbana rasa.

V. 299. *tyriambina.* Vestimenta pretiosiora, seu peristromata,
 tyria purpura ineibriata, argento etiam contexta. Broccati.

- Si turbas agit interea, mordetque medullas
 Intestina fames, & hianti prominet ore,
 Rarus & in vacua suspirat pixide nummus?
 Desipit ille parum, qui Reges, atque Tetrarchas
305 Computat infer avos, & nomina magna Parentum
 Usque crepat? Quasi non metuentem Sabbatham Judam,
 Unde genus dicit, possit meminisse, virilem
 Assumpsit quicumque togam, &, si coetera desint,
 Ipsa illum facies recutito de patre natum
310 Non satis accuset, tumidique redarguat ois
 Ampullas? At eum Proculejus amat, populares
 Qui rumpit cuneos, densa stipante sarissa,
 Alter & a summo moderatur Principe Romam.
 Credo equidem, bibulae nam sedulus ingerit aur
315 Sermones Procerum, & quidquid catus audiit, ingens
 Coetus tibi juvenum Odrysios siccare cululos
 Convenit, & calidum dictis condire cacaum,
 Forsan honoratas & decurtare lacernas;
 Adde quod assiduus meritaria basia figit

V. 311. ibid. *Proculejus amat.* Romanorum procerum unus.
 Nomen ex Q. Sectano desumptum.

V. 312. *stipante sarissa.* Stipantibus hastis. More militum
 helveticorum rumpit peditum multitudinem in cunei formam
 redactam.

V. 316. *Odrysios siccare cululos.* Arabicas potionis; Caffe;
 quibus utuntur Turcae.

V. 318. *lacernas.* Vests viriles, seu pallia, quibus utebantur
 Romani. Porro decurtare lacernas honoratas, ut fieri solet
 a tabernarum cultoribus, respondet tagliare i panni addosso,
 seu famam honestorum hominum lacerare.

V. 319. *meritoria basia figit.* Non gratuita, sed quae lucrandi
 aliquid spe figuruntur.

- 320 Postibus, & dubiis etiam lucentibus astris,
Horridus accedit Domino portare salutem;
Nec dubitat scaphium, aut olidam praebere matellam,
Si petat, & vitreum Lotii laudare colorem,
Ipsos quin etiam crepitus quasi curvus adorat,
325 Denique mancipium quod nollet ferre, libens, &
Gratis ille facit: felix, si mucida salsa
Frusta suis liceat, panem & mordere caninum,
Et vappam de fumosa sorbere lagena,
Dum discumbit herus, dapibusque epulatur opimis,
330 Atque hunc cum referat fructum miser officiorum,
Semper habet tumidas Proculeij nomine buccas:
Me Proculejus amat, me gestat in ore, sinuque,
Quotidie secum vult me discumbere, quamvis
Invitum: quae deinde dapes, quae vina, quis ordo
335 Rerum, quam faciles domini super omnia vultus?
Sic animos vulgi fuco perstringit inani,
Vindicat & magnam sibi per mendacia famam.
Haec, & plura vetat quae reverentia faro,
Conventu in medio, quisquis fuit ille, serebat,
340 Falsa reor, sed quae possint vel falsa fricare
Sinciput, & verum faciant vulgata ruborem.
At quorsum haec? Tecum utsuescas habitare, tuamque

V. 322. *Scaphium.* Vas erat tam ad ventris onus, quam ad
urinam excipiemad accomodatum; erat autem mulierum.
Matella vas urinæ tantum accommodatum excipiendæ; erat
virorum.

V. 328. *Et vappam.* Vinum insipidum sorbere de vase testa-
ceo ad vinum accommodato. Hinc *vappae* vocantur homines
ignavi, viles, nullius virtutis. Hor. lib. i. Sat. 11. v. 12.
..... *vappae* famam times ac nebulonis.

- Intra pelliculam te continuisse pudenter.
 Nam si tantus amor cordi est, per stercora semper
 345 Foeda volutari, ut putres faciunt scarabaei;
 Atque haec cura placet; non tot quin plura penes te
 Invenies, totum possis ubi mergere nasum,
 Lautaque porcino praebere alimenta futori.
 Sint mavis aliena, sequi, fiet, tua rutsus.
 350 Ut quaerant illi, naso quos pungis acuto,
 Et te metiri cubito doceantur eodem?
 Vive tibi: nulla est major sapientia, quam se
 Nosceret, quesque suas, & justa pendere lance.
 Non ego propterea patrio te cedere teclo
 355 Praecipio, & nigro caput angustare cucullo,
 Horridaque urbanis praeferre silentia rebus.
 Urbe potest media sapiens sibi vivere tantum;
 Nec tamen, occurunt acri si digna cachino,
 Labra tenet, dubitatque omnes ostendere dentes;
 360 Democriti similis; nec deficit humor ocellis.
 Cum ploranda videt, fitque Heraclitus; at idem
 Protinus ex aliis obtutum retrahit ad se,
 Et sua ab alterius factis compotere discit.
 Dum loquor, & toto largus pulmone calesco,
 365 Jamque illum spero mentem abjecisse priorem,
 Mutatique fidem faciunt suspiria cordis;
 Effugit extemplo vico digressus opaco,
 Argutasque agitat soleas per saxa Trasillus.
 Ille quidem multo perfusus tempora cosmo,

V. 368. *Trasillus*. Nomen ex Juvenile desumptum. Porro hic
Trasillus arte quadam, studioque incedebat exquisito.

V. 369. *tempora Cosmo*. Unguento, a quodam *Cosmo* celeberrimo

- 370 Ut solet, & comptus quantum vix foemina posset:
 Gibbus at insolitus sub procurrente lacerto,
 Cautaque dimidio circumdata penula naſo,
 Ipſe adeo incessus, quiddam ſuo ueste latero
 Argumenta dabat. Nulla eſt mora: plura volentem
 375 Dicere me. Lupus in medio ſermonē relinquit,
 Et, quod jurato vix poſſem credere teſti,
 Advolat impavidus naſo jugulare Trasillum,
 Audet & a ſummo ſegetem diuſcere lymbo,
 Quo detecta patent udo pendentia juſco:
 380 Vicerā, vervecisque fecut, raphanique puſilli,
 Et cinarae, ſed jam baſha graviore rigentes,
 Infelix epulum, atque uno minus aſſe ceceptū,
 Templum ingens oculo qua coelum respicit uno.
 Tum vero juveni, ſtimulos aſcēntē pādore,
 385 Bile fecut ſubita intumuit, nec contiauit ſe,
 Protinus in faciem quin prandia tota volerent
 Duri inspectoris, putrique nitesceret hirco
 Perlita frons, tetro & naſos terret odore.
 Usque adeo ſedet ulcus, & iuſanabilis alto
 390 Corde furor, vincitque manus, aſtemque medentum.

mo Romae unguentario; qui ſaepe apud Martialem. Juven.
 Sat. 8. v. 86.

• et Cosmi tato mergatur abeno.

V. 371. Gibbus. Trasillumi graphice deſcribit festive inceden-
 tem, undequaque gibbum, ac pallio ad naſum uſque circum-
 datum, calamistratum, ac ſuaveolentem, cinaedorum moe-
 ritate, at ſub pallio, extenso brachio ferentem fruges, ac vervecinas
 carnes, quas tamen Lupus celeberrimus inspectoſ detegit.

V. 383. Templum ingens oculo. In foto Templi Pantheon di-
 citi, la Rotonda.

Pharmaca nulla juvant, quamvis exotica: non quae
 Vulnus adulantur lenti dulcedine succi,
 Non ea, quae rigidos faciunt collidere dentes
 Mordaci sale, & innocuum mordere labellum.

- 395 Quin si conspirent laesum medicare cerebrum
 Quotquot agonali vendit ceromata circo.
 Institor astutus, cum circum pulpita vulgus
 Densum humeris statuas lusus miscere pusillas
 Adstupet, aut doctam in medio saltare catellam,
 400 Non redeat menti integritas, & pristina virtus:
 Reste igitur res poscit agi, sanctoque capistro,
 Ut tandem asserti grassante tyrannide cives
 Respirare queant, & aperte vivere portis.
 Quidni etiam fiat? Thyrrenos tundere mullos
 405 Mittitur, incalitas si quis castrare crumenas
 Ausus, inauratas & clam corraderem thecas,
 Artis opus mirae: franguntur Transtiberinis
 Brachia terribili trochlea, si forte, minaces
 Dum torquent fundas, saxo gemuere volante
 410 Esseda, queis fertur Lalage: livescit adulter
 Verbere sub crebro, formidatoque notatus
 Stygmate obit Romam pando male nixus ascello:
 Quodque Matho nollet, furca, tortaque piani
 Cannabe posticam Venerem scatinia poscit,

• Et

V. 398. *miscere pusillas*. Parvas pupas, burattini.

V. 404. *mullos*. Respexit ad proverbium italicum, *battere le triglie*, cum quis ad centum cellas, ubi pontificiae triremes, mititur.

V. 414. *Scatinia*. Annuit ad legem Scatiniam a C. Scatinio latam ad coercendam praeposteram Veneris monstruosam libri-

- 415 Et pro diffracto ftanguntur podice fauces:
 His erit impune, ad Tybrim qui saepe Quirites
 Impellunt, totamque incestant cladibus urbem,
 Obliquoque vetant malvas frondescere muro?
 Funereas, i., junge trabes, tere guttura lictor,
 420 Intestati abeant figulis augere patellas
 Latrones diri; vexent Acheronta licebit,
 Atque illa, si tantus amor, grassetur in aula.
 Poscimus hoc omnes, vota haec sunt publica Romae,
 Quam nimis heu dudum devoutae insanis gentis.
 425 Strangulat, & fatui damnosa licentia Nasi.

bidinam. De qua vide Enar. 19. ad Satyram Pompeij Venturii.

V. 418. *obliquaque vetant.* Romae locus extra Flaminiam, quo, dum haec Auctor scribebat, ii asportabantur, qui coeco ac furiali impetu ducti ad Tiberis undas sese projicientes misere demersi interibant; quod tamen modo sapientissima Benedicti XIV. Constitutione edita vetitum est. Illuc tamen eorum etiamnum asportantur cadavera, qui nullis poenitentiae signis datis, jussu Principis vita orbantur.

V. 420. *Intestati.* Ab intestato, sine ultima tabula, aut cera pereant. *Che vadano a far terra po' piasti e boccali:* proverbium italicum.

V. 424. *Quam nimis.* Exploratores intellige, qui pietatis praetextu omnia quaeque inquirunt, per omnia voluntantur, & quorum insanis, & nasi damnosa licentia Romani gravantur, ac molestia afficiuntur. Juven. Sat. 10. v. 12.

*Sed plures nimis congesta pecunia cura
 Strangulat.*

THE
WORD
OF
THE
WORLD

JULII CÆSARIS
CORDARÆ S. J.

CARMINA.

Digitized by Google

THE KATHA

OR THE BRAHMANA

THE EIGHTH BOOK

OF THE

KRISHNA PURANA

MATANGA

BY KRISHNA DAS BAWAL

Digitized by Google

CLEMENTI AUGUSTO
 BAVARIAE PRINCIPI SERENISSIMO
 A BENEDICTO XIII.
 P. O. M.
 COLONIENSI ARCHIEPISCOPO INAUGURATO
 C A R M E N.

*Dum Auditor Viterbii humaniores litteras doceret
 Anno 1727.*

P LAUDITE: Luctificis jampridem exercita Fatis
 Rellgio, duroisque pati haud ignara labores,
 Nunc tandem insuetum post nubila fusca serenum
 Laeta videt, profertque hilari nova gaudia vultu:
 5 Plaudite Pierides, & serta recentia doctis
 Instaurate eomis: Nunc, si vos gloria plestri,
 Parnassique movet, magnas si grandia vires
 Argumenta vocant, sacras date largius undas
 Ilicet, & totam juvet exhaudire Aganippen:
 10 Nunc animis opus, Aonidae, nunc divite vena.
 Quanquamò quid mihi cum Cýrra, aut Permesside lympha,
 Commentis Vatum? Tu Regum certa Propago
 Bavardum, flavas cui subjicit Ister arenas
 Fraenari patiens, defigitque oscula plantis,
 15 Totaque regnanti famulatur Norica tellus,
 O AUGUSTE fave; Tibi enim, Tibi gaudia debet

Q 3

Relligio, quae magna foveat, sacra Insula postquam

Impedit augustos crines, paterisque vocari

Idem hominum Rex, & Pastor, sceptroque potenti

20 Pastorale pedum concordi pace maritas.

Vidimus, & tanti monumenta perennia facti

Mente sedent etiam, vastis cum Maximus Orbis

Et Pater, & Princeps, terum cui credita cura

Sacrarum, Terrasque datum virtute tueri,

25 Ipse ultro solio sese BENEDICTUS ab alto

Extulit, impatiensque morae, quæ lata nivalis

Umbra cubat Cymini, venienti occurrit, & Ipse

(Tantus amor) manibus, caeli quibus ostia pandit

Ferre dedit capiti gemmatum insigne volenti,

30 Inque sacri partem Imperii succedere jussit.

Nunc adeo, dum Te major decora alta tuorum

Transgrederis titulo, & sacrum caput inseris astris,

Heu qualis, quantumque sonas! TIBI fama trecentas

Impendiit clamosa Tubas; Te cernere gestit

35 Isara, pacatoque invitat intermine Rhebus,

Unum omnes pariter sceptrique, pedique potentem

Suspicimus. Sedenim tanto late omnia plausu

Dum resonant, soli Vates sileamus inertes?

Non ita: Jamque tibi phaebaea ex arbore sertum

40 Depropero, & vittas inter, gemmasque Tiarae,

Aonias texo, si qua est ea gloria, frondes.

Sis bonus o, facilisque animum graviora moventem

Paulisper tenui, si fas, adverte Gamaenae.

Tu quoque Bavaricus, ter maxima faemina, sanguis,

V. 27. *Cymini*. Viterbiensem Civitatem intellige.

V. 35. *Isara*. Flumen apud Bavaros ortum ducens,

- 45 A Viovis quac nomen habes, cui Regia florum
Servit, & Etrusci flores unda irrigat Arni;
Huc ades, & magni decus immortale Nepotis.
Dum meditor, timido praeſens allabere Vati.
Ludere regali cum primum caepit in aula,
50 Jam Puer Augustus, caeleſti ex Agmine bini
Olli sorte dati Comites, queis cura tueri
Egregium Infantem, primos & singere mores
Consiliis; Sed enim Geniis non una duobus
Mens Puero super; hic sacris assurgere rebus
55 Namque yclit, patriis alter dominarier oris.
Hinc stimulos utrinque pati, diversaque cordi
Imperia, & scindi studia in contraria mentem.
Nam vastis ut forte Domus errabat in aulis,
Effigies ubi Majorum, ceraeque superbæ
60 Parietibus pendent circum; Cerne alta tuorum,
Magno Puer, decora; & verae cape semina laudis,
Alter ait; Viden' ut longo stent ordine Mitrae,
Concilium latè augustum, sanguisque Senatus?
Hi sunt, quos olim Romæ pia castra secutos
65 Extulit ad Superos virtus, Cæloque locavit.
Anne aliquem pulchros Ernesti aequare triumphos
Posse putas? Hic ille fuit, qui vana professum
Consilia, exitiumque gregi lethale parantem.
Detrusit selio Pastorem, & Marte fugavit,
70 Suppositus mox ipse loco: Cerne ora minantis
Nunc etiam, & Cæli pro Majestate furentis,
Excipit hunc illibati candoris imago
Henricus, cui mitem animam, moresque benignos,

V. 45. A Viovis. Respexit ad Serenissimam Violantem magnæ
Hetruriae tunc Principem Clementis Augusti amitam.

- Delicias popolorum, & fraudis nescia corda
 75 Dii dederunt: En pone subit Fernandus, & ipse
 Quem proprius virtute refers, & nomine Clemens
 Qui Vir, & o Superi, quantus! Non si mihi centum
 Ore sonent linguae; Patrui depromere dotes
 Dicendo, ac laudum percurrere nomina possim.
 80 Et dubitas, qua te generis trahit aemula virtus?
 Ire via, Proavosque Nepos aequare sequendo?
 Parte alia Genius, Regni cui gloria cordi:
 At non Vindelici sic nominis aucta potestas,
 Non sic partus honor Genti, quo Norica tantis
 85 Gloria se tollit rebus: Per tela, per hostes
 Est iter ad veram, non sacra per otia, laudem
 Tu regere imperio populos, Augste, tuorum
 Exemplis condisce, dabunt quæ plurimæ, & acres
 Jam nunc stolle ianmos, non inferiora secutus
 90 Neu te percellant tituli, speciosaque Avoriarum
 Nomina, quid' malta cernis fulgere Tiara,
 Huc o' fœd' volvis acies, hanc aspice turbam,
 Illustrè Heroum animas supra alta venenses;
 Ille, vides? umbrata gerit qui tempora lauro
 95 Arduus Piratibus minas etiam incepit ore;
 Hie vir, hie est, tibi quem narrati saepius audis,
 Gloria Bavariæ, Ludovicus, grandibus ausis
 Qui tulit Imperium, & pressit Capitolia victor:
 Felix ille opatum, tulerint utcunque minores.
 100 Proximus ille autem, geminas cui vertice cristas
 Stare super cernis; pariter pietate vel armis
 Inclytus Albertus: multum ille invitus averno,

V. 83. *Vindelici. Bavarensium.*

Multa quoque & patria pro Religione subivit:
 Nec frustea; insacos aequo nam Marte Rebelles
 105 Fregit, & aeternum terris disjecit avitis.
 Quis tamen ille, gravi Majestas aurea vultu
 Cui sedet, & vastam signat frons ardua mentem?
 Guillelmum nosco, Summo qui templo Tonanti
 Largus opum posuit, Divoque ornavit honore,
 110 Grandiaque extendit vigilis ad Numinis curas.
 Disce, Puer, tantisque Atavos virtutibus aequa.
 Nam tibi quid memorem respetans, è Gente tuorum
 Magnanimos Heros, & impertita bello
 Pectora, Estnodos, & grandia nomina terris
 115 Maximilianos, fama super aethera notos?
 Unum, oro, quando hic, Gaeli spirabile lumen
 Carpis adhuc, meditare Patrem, quantum instar in uno est!
 Hoc Duce, carpe viam. Tum magni facta Parentis,
 Divinasque viri repetens ab origine laudes
 120 Ingreditur. Primiq[ue] bello assueverit annis,
 Impiger, & tenetos, losica presserit artus,
 Ut quaesata idem tremefecerit oppida bello
 Hungaria in magna. Tu curtam inviste superbam
 Marte domas, tu belligeros jacere arma Gelonus,
 125 Taurunoque jubes fractas avertere Lunas
 Cum gemitu, Nec te silet alto gurgite Savus,
 Majores volvens inimico sanguine fluctus.
 His Genii dictis Augusti flectere tentant
 Nutantes utrinque animos, instantque monendo.
 130 At veluti magno in pelago cum foeda coorta est
 Tempestas, unaque fremunt Boreasque, Notusque
 Frontibus adversis; cui pareat inscia pinus,
 Nunc huc, nunc illuc rapitur diversa per undas,
 Qua docilem vis major agit, quaque impetus urget

- 135 Fortior; Haud aliter medio in certamine Eratrum.
Nutabat Puer, ac tacitus sua vota premebat.
Interea, seu forte sequi pia signa togatum
Contigat, seu ferre ingentia pondera Regni,
Ingenuis animum studiis, omniq[ue] Minerva
140 Excolere, & Genio praebere utriusque regendum,
Dum satis arbitrio matura adolesceret aetas.
- Nec te, Roma, latet; Regalia Germina quando
Es complexa sinu, pariterque ad grandia nitit
Augustum, & socia vidisti mente Philippum.
- 145 Sed quid ego haec autem nusquam memoranda revolvos?
Quidve juvat tacite priscum renovare dolorem,
Ut Juvenem forma egregium, magnisque vigentem
Auspiciose (misericordia) primaevi in flore juventae
Messerit atra dies fato? Sic, Numina, vobis
150 Invisi fuimus? Nimum seu credita felix
Gens hominum? Nam si vitales carperet auras
Nunc etiam, proh quantus eat date munera flores
Purpureos, Animaq[ue] properant, & spargite flētus.
Et jam tempus erat, certas quo dicere vitas
- 155 Augusto leges suadebat prima Juventus.
Et magis atque magis stimulis vigilantibus instant
Aligeri, si forte queant cunctantia vincit
Pectora, & optata detur consurgere palma.
Ast ubi nulla datur Juvenem superare morantem.
- 160 Copia: Nil agimus stimulis, ait alter; Is orbi
Demum erit Augustus, statuet quem Diva Pronaea,
Sive armis, sive illa toga se attollere malit.
Illa Virūm sortesque regit, casusque gubernat
Scilicet, & quam cuique dedit justissima legem,
165 Illam quippe homines capiant, serventque necesse est.
Nunc age, quae Puero tribuat fata, illicet ambo

Exploremus, ait; Simul annuit alter & una
 Regalem sedem, & magni fastigia linquunt
 Monachii, paribusque feruntur ad Aetora pennis.
 170 Est ultra Caeli tractus in parte reducta
 Tectum augustum ingens; centum cui fulera columbae
 Suppedant circum, & positu magna atria singunt.
 Diva ubi Fatorum Praeses, quae cura beatam
 Sola tenet, sortes hominum, casusque futuros
 175 Ordine describit, saeclorum arcana recludens.
 Non foliis, non illa tamen sua carmina mandat;
 Quae turbata volent rapidis ludibria ventis;
 Marmora sed coelo; solidumque adamanta magistro
 Exarat incidens, fulgentique aere metallis;
 180 Vis ut nulla Virum, non ipsi frangete Divi
 Fata queant, manibus semel efformata Pronaeae
 Vestibulum ante ipsum vigilantem, ac multa moventem
 Aligeri, ut venere, vident. Mora nulla, Potentem
 Alloquitur Divam Genus sacet, atque ita fatur.
 185 O Dea, Sidereus cujus sub legibus Aether,
 Terrarumque jacet late orbis; Nam tibi fertum
 Abdita nosse datum, fatorum & scribere sortes:
 Dic, age, quae maneant Augustum Fata, quibusque
 Artibus astræ super jubeas extendere famam.
 190 Illum ego quam vellem sacra in veste videri
 Aethereis devotum aris, stygia agmina contra;
 Immanesque Erebi vires! Non fortior alter
 Haereseos calcare minas, animaque superbam
 Ulcisci, & populos sub Religione tueri.
 195 Heu Pietas, heu rara Fides! Quis pectoris alnum

V. 181. *Pronaeæ; Providentia.*

Candorem, & mores minima vel labe carentes
 Explicit, aut fando virtutum nomina volvat?
 Adde his ingenii non enarrabile lumen,
 Adde oris majestatem, mentemque senilem.

200 Peccore adhuc tenero, & plusquam mortalia corda.
 Quid memorem... At contra media inter verba loquenti
 Obsttit impatiens, rupitque silentia Frater.

Hunc ne dato Juvenem sceptro caruisse? nec illi
 Regales animi dotes, ac vivida virtus

205 Profuerit, fortisque actas exulta per artes?

Praeclaram vero laudem, si degener annos

Exigat, & resides pra servent otia vires.

Atmâ acer, sola armâ velit, regnisque potiri

Discat, & egregiis virtutem extendere factis.

210 Haud equidem melior quisquam; seu fulmineat ense,
 Spumansem seu verset equum, cursuque fatiget.

Nec vero ertorum furias agitare minaces

Oderit armorum ductor: Terretur & armis

Impietas: Jubeat sceleratam absistere gentem,

215 Imperio, aut partes ultra ejurare profanas,
 Armatum videant, exhorrescantque protervi.

Talibus orabant Genii: simus anxius haurit

Cordâ pavor pulsans, sortisque affecta cupido.

Tum Dea subridens illis: confidite, dixit,

220 O' Pueri, capiatque ingens discordia finem.

Scimus enim quantas ostentet perfida vires

Impietas Rheni ad fines, cui caeca furenti

Ni frenum iniicio, vasti latera ardua maudi

Quippe ferat secum in proœcpsi, mergatque profundo

225 Demens, Bavariae quae propugnacula gentis

Non videt, & quantum Augusto mihi robur in uno est;

At tandem vidiisse volet: Dabit improba paenas.

- Nunc ergo portentificaे qui occurrere pesti
 Audeat, & stygii caput implacabile monstri
 230 Conterere, ipsa viris elegi ex millibus unum
 Bavarium Augustum, vestram, pia Numina curam.
 Propterea Rex esto mihi; pariterque Sacerdos
 Numinis, & gemini ferat idem pondera Regni.
 Namque potest Alma sic Majestate rebelles
 235 Contineat late gentes, ac terreat armis.
 Ite alaces, laeta jamque illum voce salutat
 Pastorem, celsas subigitque Colonia turres;
 Ite, laboranti nova pandite gaudia mundo.
 Vix ea dicta: Deae sedes, atque aurea tecta
 240 Nec mora, desperrere pares, celerique volatu
 Aerios Genii tractus, ventosque secantes,
 Undique fatidicae vulgant responsa Pronacae.
 Audit, excussitque impexos crinibus angues
 Haeresis infrendens; sibi enim, sibi tristia bella
 245 Affore ait posthac, jam nunc & tartara regna
 Cogitat, indocilis certam expectare ruinam,
 Impiaque antiquam desperant saecula pacem.
 Audit, & septemgeminò caput extulit alnum
 Vertice Relligio, Regem amplexura togatum
 250 Praesidiumque sui, veterumque oblita malorum
 Certa serenato testatur gaudia vultu.
 At pius Augustus; neque enim regalia corda
 Tangit honor, penitus vigiles sub pectore curas
 Secum alit, & caro se totum impendit ovili.
 255 Macte animis, Princeps: in te spes maxima rerum
 In te certa salus: I, dirae comprime pestis
 Reliquias, I, perde viros malesana foventes
 Semina: Rumpe moras, tantisque assurge triumphis.
 Poscimus hoc omnes, hoc te Germania primū

- 260 Scissa comas, lacrymisque genas perfusa decentes;
Voce rogat: Viden', ut palmas protendit utrasque,
Vulneraque, impietas fecit quae plurima, monstrat?
Per te laeta tamen veteres spē concipit annos,
Rursus & antiquum, te vindice, quaerit honorem;
- 265 Eveniet: sunt namque animi, sunt Principe digna
Pectora, sunt vires. Sic & qui prima dederunt
Concilia, & mores Puerō fixere tenellos,
Usque virum Genii casus comitentur in omnes,
Praesidiumque ferant: Felicia tempora nempe,
- 270 Felix quae tanto gaudebit Praesule Tellus.

IN B. HYACINTHÆ MARISCOTTÆ

A P O T H E O S I

AD CIVITATEM VITERBIENSEM GRATULATIO

Dum Auctor. Ibidem humaniores litteras doceret,

C A R M E N,

P ARCITE priscorum decus ostentare Parentum,
 Detritasque aevo laudes; quasque inclyta bello
 Pectora, quasque Togae, tot collexere per annos;
 5 Parcite Viterbi, Gens non ingloria, Gives.
 Scilicet est etiam, quo praesens audeat aetas
 Turgida, nec fluxi quaerat monumenta decoris.
 Cesserit Armorum vis formidata, vetusque
 Bellandi studium, & rorantes sanguine palmae;
 10 At quando major legum observantia? Quando
 Floridior virtutis honor, Pietasque, Fidesque;
 Dulcior aut placidam junxit Concordia Gentem?
 Arma silent, nec ut ante Viros res bellica prodit;
 At pulchrae fervent artes, Pax aurea regnat
 15 Undique, felicesque Urbis moderatur habenas
 Marte Themis melior: Quid quod reverentia Sacris
 Addita, praecipuusque Decor? Fas cernere Templis
 Insolitam majestatem; Namque Infula Princeps

V. 15. *Marte Themis.* Diva praeses justi, honesti, & consi-
 liorum.

- Alta micat solio multis comitata Tyaris ;
Concilium latē augustum , Sanctusque Senatus ;
20 Adde his Imperium clavis Insignibus auctum ,
(Urbis honor) titulisque novis : En aurea fulgent
Pallia , qua Patres dant jura verenda togati ,
Pallia Praetextis non concessura Quiritum .
Nimirum egregius Princeps , qui temperat orbem ,
25 Argumenta animi vobis haec munera fecit ,
Et merito ; Sedenim , ceu tot per munera nondum
Sat compertus amor pariter superumque , hominumque ;
En adeo colitur Geniis adscripta beatis ,
Vester honor , vestros olim dignata Penates ,
30 Nunc etiam vestri patiens dici Incola Coeli ,
Flos , & Amor Charytum , Coelo stella addita , Virgo .
Plaudite Viterbi , Gens non ingloria , Cives .
Tu mihi (namque tuas mens est percurrere laudes
Carminibns , radiosque novos , queis ardua fulges)
35 Adsis ò Hyacintha favens ; Tu dirige Vatem
Castalium per iter , Tu doctos annue fontes .
Jampridem Europae studijs communibus Urbes
Romuleo intentae Regi , precibusque frequentes ,
Virgineum Sacras poscebant Nomen ad Aras ;
40 Ipsi quin etiam Reges , quiq[ue] imperat Undis
Sequanis , & qui famulantem regnat Iberum ,
Roman Oratores misere , altaria divae
Qui peterent , meritam maturarentque Coronam .
Tu quoque non tenues stimulos , Vetulonia , Serto
Ad-

V. 24. *Nimirum egregius Princeps*, Benedictus XIII. P. M.

V. 41. *Iberum*, Galliarum atque Hispaniarum Reges.

V. 44. *Vetulonia*, Oppidum olim Hetruriae apud Populoniam,
caput caeterarum urbium.

- 45 Addere tergemino visa es: Capitolia testor,
 Et Tibrim, &, rerum juga conscientia, Vaticanum,
 At prius, & longe proprius rem fortis agebat
 Gente Mariscottâ ducens Galeatius ortum:
 Qui Vir, & o Superi quantus? generosus avito
 50 Sanguine quod steterit, latio quod fulserit ostro
 Insignis, quota pars laudum sunt ista suarum?
 Par olli pietas generi, perque omnia Virtus
 Conveniens latioque Patri, Divaeque Nepoti.
 Ergo sollicitam dum versat in omnia mentem,
 55 Jam Senior, votoque haeret defixus in uno;
 Hos olim placido fundebat pectore questus:
 Mene mori tandem? Nec te, mea maxima cura,
 Dotatam aspiciam, Virgo, Caelestibus Aris?
 Nec dabitur flexo venerari poplite divam
 60 Oranti, & Sacros imponere thuris honores?
 Speravi hoc equidem longum; quid inutilis annos
 Nunc moror, invisaequè traho fastidia vitæ,
 Ni videam laetis Amitam fulgere coronis?
 Aut hoc mi, Superi, date: vel si fata resistunt
 65 Non tentanda homini, duram hanc abrumpte vitam,
 Tollite me Superi, vestrasque abducite Sedes:
 Aspiciam certè sublimi parte locatam
 Sydereâ in patriâ, Tellus mi parca coarctat
 Obsequium, & cultus timet indulgere supernos.
 70 Dixerat: exemplò multâ se in luce videndam
 Obtulit, ora Deae similis, qualisque per oras
 Ethereas graditur Superis immixta Hyacintha;

V. 48. *Galeatus ortum*: Galeatius Mariscottus Gard Amplissimus.

TOM. III.

R

- Tum sic orsa loqui: Quid tanto absumeris aestu;
Care Nepos? Nostros, quod dudum poscis, honores
 75 Aspexisse nefas vivo: Sic ille Deum Rex
Fatâ movet nempe, & rerum discrimina versat.
Sed nostri si tantus Amor, si tanta voluptas
Cognatum inscribi sacra inter nomina nomen;
Jam jam prona via est: Lucem indignantia vota
 80 Audiit, & Pyliam te nunc rescindere vitam
Ante diem patitur Numen: Nunc ergo volenti
Quae dicam excipias animo. Simul ipse supremum
Spiraris, vacuo tum cum spatiabere Caelo
Umbra levis, veneranda memor pete limina, summus
 85 Unde Pater vigiles in publica commoda curas
Dividit, & toti ter maximus imminet Orbi.
I, mentem Augustam Supera. Quid fluuat anceps?
Quid tantum ambiguus, ventura in tempora differt
Consilia, & longos spem frustra extendit in annos?
 90 Mittat honoratis titulis fraudare Hyacintham,
Europaeque ingens votum: Sic poscere Numen.
Haec ubi dicta, oculis se summovet illa, volantem
Insequitur lucis sublimes Sulcus in Auras.
Nec minus interea Galeati Spiritus, acri
 95 Spe fervens, certusque mori, vitamque pacisci
Lugetur placide vitales solvere nexus
Membrorum, tandemque imo de carcere lapsus,
Pallentem exuviem, Corpusque exangue relinquit.
Tempus erat, fessos hominum quo grata per artus
 100 It requies, altique premunt genus omne sopores

V. 80. *rescidere vitam. Pyliam. Nestorem, a Pylo Nestoris patris.*

Sed non & positis Regali pectora curis,
 Justo indulgebat somno *Benedictus*; at omnis
 Dum latè deses tenet alta silentia Tellus;
 Uno pro populo vigilans, Coelo alta tenebat
 105 Brachia, resque hominum precibus super astra ferebat.

Qualis ubi aequoreos sopito remige flatus
 Nocte secat tacitā Pinus, quam ventus euntē
 Dexter agit, flatuque in noctem aspirat amico:
 Non Nautae, non Vulgus iners portantia sentit
 110 Flamina Ventorum, & puppim per aperta volantem:
 Omnia somnus habet; Clavo tamen usque Magister
 Adsidet insomnis, tum puro Sydera Caelo
 Obtutu explorat tacito, geminosque Triones,
 Humentesque Hyadas, simul auribus aera captat.
 115 Haud secus ipse Pater vigilantia lumina Caelo
 Intentus, magni peragebat commoda mundi.

Cum subito oranti notae sub imagine formae
 Umbra Viri subit ante oculos, ac talia fatur.
 Ille ego Romuleo nuper spectandus in ostro,
 120 Corporeā nunc mole minor, Galeatus adsum;
 Ne dubita, superas jam migraturus in oras:
 Quid differs? Almis debetur scilicet Aris
 Egregium nostro germen de stipte Virgo:
 Ergo age: Sperato per te donetur honore
 125 Quamprimum, Caeli namque est ea certa voluntas,
 Nec plura, Etherias abit extenuatus in auras
 Ocyus, & Reginis sese stellantibus infert.

Obstupuit monstro Princeps; mentemque, animumque
 In diversa movens, veras ne audisse loquelas,
 130 Illudi ne putet; Noctem objurgabat, & umbras
 Heu nimium cupido segnes, lucemque vocabat.

Lux aderat tandem, roseoque armata flagello

- Nocturnas Aurora faces Oriente fugabat.
 Et jam lugubres habitus induit per Urbem
 135 Fama volat, fato abruptum cessisse nefando
 Purpureum Heroem: Rumor crebrescit in horas
 Tristis, & incertas *Benedicti* fertur ad aures.
 Tum vera, ut visum sensit constare, supinas
 Extenditque manus, rupitque hanc pectore vocem:
 140 Jam jam nulla mora est; sequor ò, sequor alta Tonantis
 Imperia, & Caeli ducunt quo Numina pergo.
 Ilicet Ausonios Proceres de more vocatos
 Assatur medius, nuper quae objecta per umbras
 Edocet, & cordi quae stet sententia poscit.
 145 Omnibus idem animus, Caelesti inscribere Gaetu
 Cumprimum, titulisque Sacris ornare Hyacintham,
 Nec secus ille, Deo foetus, totamque tremendo
 Numine suffusus mentem, te maxima Virgo
 Ipse manu tandem sacrato adscribit in albo,
 150 Heroes reliquos inter supera alta tenentes.
 Ex illo, quis non toto simul Orbe Hyacinthae
 Partus honor? Quaenam tellus, quaeve ora Hyacintham
 Non celebrat supplex; aut divae numina sentit?
 Nusquam ignota latet: frontem insignita corollis
 155 Sydereis, Templis circum omnibus, omnibus aris
 Fulgurat, & votis assuescit rite vocari.
 Quis Tabulas, quis migdonio spirantia signa
 Marmore, odoratosque Arabum per templa vapores
 Explicit, aut fando populorum gaudia volvat?
 160 Vos tamen ante alios sinceri maxima gaudi
 Argumenta datis, Gens ò gratissima Caelo,
 Viterbi Cives: Totam modò vidimus Urbem
 Sedibus exultare suis, Populusque, Patresque
 Certayere pares laetas celebrare Calendas.

- 165 Perpetuis longè taedis radianis Testa
Vidimus, & tanto supercetans lumine noctent.
Vidimus artificem caecis fornacibus Aetnam
Flammarumque globos rustante, & fulmina mille
Cum sonitu: portenticos nova bella Gygantes
170 Jurasses inferre polo; quid quadrupedantum
Praecipitesque fugas dicam, plaususque faventum,
Totaque pulvereis undantia compita nymbis.
Nunc etiam grati, si Dis placet, optima cordis
Indicia aspicimus: Quoties juvat ire verendum
180 Ad tumulum pariter, divamque in vota vocare,
Grandiaque appensis testari dona tabellis!
Felices, quibus Augustum servare pheretrum
Contigit, & sacram exuviem pietate tueri.
Scilicet & patrias Hospes redditurus ad Oras
185 Sole sub extremo, Terram hanc magis omnibus unam
Secum habeat memor, & cupidis commendet amicis.
Hic olim armigerum posuisse cubilia Martem,
Has Aedes, haec ipsa Aevi vietacia longi
Moenia, & Etruscis quondam regnata Tyrannis;
190 Narrabit multus; Sed enim quid prisca requiro?
Illa illa est, dicet, Superis gratissima Tellus,
Heroum foecunda Parens, ubi florida semper

V. 167. *fornacibus Aetnam.* Machina ignea artificiose contexta. Equorum cursus.

V. 182. *servare pheretrum.* Corpus B. Hyacinthae Mariscottae apud lectissimas divi Bernardini Moniales summa veneratione Viterbiti colitur, idque plures conspiendum perhumanitas datum.

Tempora, & aeternum Veris decus; Inlyte quando
Usque Rosa, & socio frondescit honore Hyacintha.

V. 194. *Usque Rosa, Diva Rosa Viterbiensis ac Hyacintha.*

IN QUAESTIONEM
DE MODIS
VALDE OLIM APUD PERIPATETICOS AGITATAM.

CARMEN.

(Cum Auctor annum ageret circiter vicesimum)

O rem ridiculam! nostris servata diebus
 Omnia ridicula. En etiam, ceu bella per orbem
 Pauca foreat rerum, nascuntur bella *Modorum*.
 Scilicet huc demum cessit magna illa Facultas,
 5 Illa hominum nutrix olim, morumque *Magistra*,
 Unde vetus tanto attolit se gloria fastu,
 Aeternumque datum praeclaris nomen Athenis:
 Scire modos: Ea Philosophis nunc maxima cura,
 Hic labor, his totas juvat impallescere noctes,
 10 Astrorum vero motus, Phoebique labores,
 Bruta, homines, ventorum iras, pelagique ruinas,
 Caeteraque immensus quæ circumplexitur Axis
 Pertentata diu, nec dum bene cognita monstra,
 Nosse piget; sequimurque umbras pro rebus inanes.
 15 Sic ego, Musaeum, vidi si quando, vetustum;

V. 15. *Museum*. Kircherianum intellige, ab Athanasio Kircherio
 Soc. Jesu in Lyceo Gregoriano institutum ac conditum, ab
 Philippo Bonanno, Contuccio Contucci, Antonio Ambrogio

- Panditur ingentem ad tubam; permixta ubi docet
 Gens indocta, leves Pueri, creberque viator,
 Extremis per iter duram quies tñxit ab oris
 Rellgio propriam ad sedem; Tum barbara Regum
 20 Nequicquam spolia, & raras aetatis avarae
 Reliquias, lapides varios, pulchrumqñ labore
 Indorum, ac toto quaesitas aquore concas
 Concelebres: Nil ista super stupet indocile agmen;
 Vixque animo incuset tacitum praeconia famae.
 25 Ast ubi Simiolos quatientes timpana virgis,
 Artis opus, ridet, & crebrum bibit aure fragorem;
 Haeret hians, nescitque oculos explore tuendo:
 Miratur faciles motus, animamque latentem;
 Obscoenos ut agant riñtus, ut lumina voltant,
 30 Ut sese aspiciant, aspernenturque vicissim:
 Nec mora, nec requies manibus, quin marmure rauco
 Ceu belli signum increpitent: huc plausus, & omnes
 Conversae laudes, vera hic praeconia fatiae.
 Verum age; quandoquidem nugarum tanta libido,
 35 Et vacat in tenui magnas impendere curas,
 Huc ades: aoniae sacro de monte sorores
 En adsunt, cantare modos ad plectra paratae.
 Tu mihi (namque tuum est quodcunque hoc dicere versu
 Aggredior) Tu, Gore, fave, pulchrumqñ vigorem,
 40 Ingentesque animos studiose suffice Vati,
 Tu mihi materiae, tu sis quoque carminis Auctor,

Jesuitis viris ch. illustratum deinde & auctum Porro ibi si
 mioli cuiusdam machina Automataria observabatur.

V. 29. *Tu*, *Gore*, Julius Gorius Jesuita Senensis in Lyceo
 Gregoriano, anno circa 1724. Philosophiae Doctor, ac poe-
 tae nostri magister.

- Esse modos nonem varios, ac rebus in ipsis
Impositos, res clara oculis, dubitataque nulli est;
Non ne vides stantem modo Petram, deinde sedentem,
45 Nunc hoc, nunc illò positi? Quid plura requiris?
Hi sunt nempe modi, sic illos, voce vocamus.
Jam vero, quid sint, qua conditione fruantur,
Expediam; primaque petens ab origine causas,
Confusae penitus disrumpam vincula Litis.
50 Id primum statuo; non illos esse bona res
In solidum; res namque manent ab eontibus illis;
Unde eadem res esse simul, simul abesse posset;
Quod reputare nefas, stupido nisi forte cerebro.
Sed neque sic tecum reputes, res rebus amicas
55 Esse modos, junctasque illis; Cenà vestibus aurum,
Aut avibus plumae, vasisque capacibus ansae;
Absit enim res esse modos: Natura repugnat
Lumine clara suo, conelamant uadique sensus
Communes hominum, mentique innata elementa.
60 Forte aeges? huic verte oculos, huic adiice mentem;
Est qui nostra bonus dirimat certamina Judek.
Ille, video! septem lapides qui versat in orbem,
Persultatque super laetus Puer: Ille mihi unus
Optimus ante' alios Judek: Manet integer olii.
65 Primus namque vigor mentis, sinceraque flamma;
Qualis ab Aetheria tum primum Lampade scissa est;
Hac cum luce frui coepit, manet ingenij via:
Candida, florescens, dubitandionescia, simplex.
Illum igitur, quot res videat, scitare, rotundum
70 Circumductorum lapidum dum respicit orbeim.

V. 51. In solidum; Adequate.

- Quot video? Septem, respondet; si modo vatum
 Quid didici, quatuor tribus addita reddere septem:
 At: caveas, insta; lapides nam propter eosdem,
 Orbis adest. Adsit; quid tum? res usque manebunt
- 75 Septem, sive struas Orbem, seu ducere mavis...
 In quadrum, aut placeat modus alter: pluribus esse
 Namque modis possunt septem haec ipsissima saxa,
 Nec rebus, veniente modo, res advenit ulla.
 I, Puer, i talem servent tibi Numina mentem:
- 80 Quamquam ò tempus erit forsan, cum arcana subire
 Non tentanda homini cupies: heu quam vereor ne
 Te quoque pervadat tandem malesana libido,
 Aut nihilorum inter nemora incantata fugaces
 Sillogismorum telis agitare chimeras,
- 85 Aut: caveas plusquam criticos, ambire sophistis:
 Retibus aeternum latitantibus Hircocervis:
 Hei mihi quod subito misero tibi prima facultas
 (Exsiccatur enim cerebrum) evanescet in auras:
 Durities contra, tenebriae, prae sumptio, fastus
- 90 Succendent animo volitanti, insania demum,
 Erroresque omnes. Puram servare favillam;
 Si sapiis, ergo Puer studeas, animoque manere
 Nobiscum patere, his saltem melioribus annis
 Dum jactura gravis; facilis tamen illa Senectae est.
- 95 Tu tamen insurgis contra, teloque superbis
 Horribili; Si namque Modus res esse negatur,
 Nec proinde nihil conceditur esse: Quid ergo
 Est modus iste? petis: Medium fors inter utrumque?
 O medium imprudens? Quis talia dicere fando,
- 100 Aut animo penetrare, aut saltem fingere possit?
 Atque ea graecisono cum vix male prompseris ore,
 Jam velut insultas victo, jam ponere fasces

- Me cogis, totumque imples clamore theatrum.
 Pone modum verbis responsisque adjice mentem.
- 105 Ergo miraris ceu monstrum immane, quod inter
Rem, nihilumque aliquid medium consistere possit:
 At quaecunque trahunt formae de nomine nomen,
 Quod sint ad formas spectantia; quaeque vicissim
 Ex virtute trahunt, quoniam referuntur ad illam;
- 110 Nonne loço ponunt medio, qui que aurea Scotti
 Dogmata defendunt, & qui Caelestia Thomae?
 Quidquid & ipse Plato, quem tantum dicete laus est
 Magna viri, cui tota volens assurgit Avorum
 Canities, sequiturque Ducem pars magna Sophorum,
- 115 Ipse Plato *spatium, Tempusque* locavit ibidem;
 Ut neque sint res, nec nihil occludantur abyssu.
 Et miraris adhuc velut intolerabile monstrum?
 Si Sapis, & cordi tua si tibi gloria? quaeaso
 Désine mirari, & temet mihi prodere; quippe,
- 120 Ni facias, dicam (nec erit quod deinde queraris)
 Verè mirandos facit Ignorantia Casus.
 Est igitur modus Appendix superaddita rebus;
 Non illis adjuncta tamen; quasi virga recurva
 Sint duo, nimurum virga, atque inflexio virgae;
- 125 Ast ita subsistens, ut sit res unica semper,
 Unica ut est semper quamvis curvissima virga.
 Nam quae praeterea est curvatio, non habet unde
 Multiplicet res, ipsa Modus; Confinia nempe
 Rei, nihilique modus tangit, mediusque residit.
- 130 Nunc adeo superest labor ultimus, ultima longae

V. 107. *At quaecunque. Formalitates.*

V. 108. *quaeque vicissim. Virtualiter.*

Pars superanda viae: Pedibus halaria Musas
Jungite, siccatis aspergitæ fauibus undas,

Pegasæ undas: Juvat ò modo tangere metam,
Præcipitemus iter: Dicenda hic denique restat

140 Carmine quæ dici vix indignata recusat:
Durandum tamen, adversis & rebus eundum.

Hactenus, ut dici nequeat Res altera præter
Rem propriam Modus, ostendit. Nunc qua ratione
Eveniat, quod Idem possit cum res semel esse,

145 Mox illâ remanente leves discedere in auras,
Aggredior; nec enim me vox circumsona tenet;
Murmure concordi, quod: Idem semel esse necesse est
Semper idem, nulli fas unquam tendere contra;
Quis neget hoc? Verum aero sunt omnia, sansu-

150 Accipienda, sophi quas constituere. Priorem
Non ego semper Idem, quod Idem semel esse negarim;
Si sumatur Idem semel omni ex parte necessarii;
Sed nego, contingens aliquâ si parte feratur,
Ut Modus & Res: hisque recta sententia parcit.

155 At qui possit Idem contingens esse, reponis,
Hoc opus, hic laborest; Vince hoc, quoque castera vinces;
Ludimus? Eu adsum, paucisque hic denique vulgo:
Paucis, namque loquor sapienti. Scis, reor, ergo:
Posse aliquid dici verum, quod deinde negari

160 Verè etiam possit, quod res non semper eodem
Sit distingta modo; Atque hinc contingentia vera,
Ut: Petrus sedet, inaudit, stat, dormit, anhelat.
Scis rursus quaedam sic dici vera, negari.

Ut nusquam possint, quod sint ea vera necesse,

165 Sicut: Petrus homo est, Animal, substantia, vivens.
His positis, quaero: Cur sors tam dispar utrisque
Veris? Quidnam contingens, mutabile, primum.

- Eternum contra facit, immotumque secundum?
 Haud aliud certe, nisi quod, quae dicis in isto,
 170 Atque ea de quibus haec dicis, spectata prout sunt,
 Unum sunt & idem aeternum simul atque necessum:
Sic unam sunt Petrus, homo, substantia vivens.
 Quae tamen affiras contra seu dicis in illo,
 Atque ea de quibus affiras, spectata prout sunt,
 175 Unum sunt & idem contingens, mobile semper:
 Apud ita sunt unum dormitio, sessio, Petrus.
 Ergo stat, quod Idem contingens parte repugnet
 Ex nulla, quin usque modos resque inter habetur,
 Desine plura loqui; neque enim me praeterit, esse
 180 Quae contra obijcias semper, quaeque ipse reponam;
 Si modo rixandi teneat nos vana libido.
 At mihi (vos o versiculi nimis aegra fluentes
 Testor) languet adhuc certamine fessa recenti
 Mens animi, indignumque piget renovare laborem,
 190 Nuper enim magno circumspectante theatro
 Nobile suscepit bellum vi mentis agendum.
 Jamque aderant omnes sua per subsellia circum
 Dispositi de more Patres: Ipse arduus alto
 Suggestu, late vastum dominabar in orbem,
 195 Tela manu valida rumpens, hostemque lacescens.
 Ecce autem post multa Modi revocantur ad arma,
 Proh quanto, superi, res est clamore peracta?
 Quam rabidis utrumque modis? Non, si acta fuissent

V. 169. *nisi quod*, Praedicatum.

V. 170. *Atque* Subjectum.

V. 191. *mentis agendum*. Auctor inter alia pubblice propugnanda Quaestionem de Modis propugnandam suscepit.

Praedia tota domus, rituque agitata forensi,
200 Praedia tota domus vehementius acta fuissent.
Et ni forte modis positus modus; usque maneret
Conflictus, reor, & pugnae implacabilis ardor.
Cessatum tamen est tandem; &, sicut vetus est mos,
Utraque pars victrix, pars utraque vita recessit.

IN B. HYACINTHÆ MARISCOTTÆ.

A P O T H E O S I

E L E G I A.

Q
UISQUIS adeſt faveat: Celebramus Sacra Hyacinthæ;
O adſit Sacris ipsa Hyacintha suis.
Cingite Pierides florenti tempora ſerto,
Cingite, perque comas plurima Laurus eat
Ante nefas flexo venerari poplite Divam,
Ponere & in sanctis thurea dona focis;
At nunc, & flexo venerari poplite Divam,
Et licet in Sanctis ponere thura focis.
Rite calent Arae, nitidis rite ardua ſertis
En Virgo primas excipit alma preces.
Nos quoque, Pierides, laetum celebremus honorem,
Quilibet & caſto concipe yota ſinu.
Ipſe ego conſtituam ſolidis Altare columnis,
Et ponam artifici marmora ſculpta manu.
In medio vefteſ mihi diva induta nitenteſ,
Auratam manibus tollet ad aſtra Crucem.
Sub pedibus mundi moles convexa jacebit,
Arte laboratus parvus & Orbis erit.
Cernere erit poſtitis Puerum diſcedere telis,
Hinc fractos arcus, hinc ſine luce faſes.
Parte aliâ paſſo lugetibit crine Juventus,
Squalida, ſed formæ ſic quoque ſtabit honor.

Nobilitas, quando longus nil profuit Ordo ;
 Turbatis aderit tristis Imaginibus.
 Non deerunt tumido substructa Palatia fastu ;
 Non deerunt lapides, dives Erytra, tui.
 Haec infra ; at circum Virtutes ordine pulchro
 Ad divae haerebunt, fida caterva, latus.
 Prima loco, macie pallens Metanoea decenti, (1)
 Gestabit miti flagra cruenta manu.
 Proxima Sylvestri Paupertas squallida cultu,
 Offeret exiguum, praedia tota, togam.
 Mox Agape, (2) roseis frontem insignita corollis,
 Comprimet ad tenerum pignora chara sinum.
 Stabit & ingenuos umbrata modestia vultus,
 Nequicquam avertens lumina fixa solo.
 At super innumeratas suspendam hinc inde tabellas
 Nempe etiam divam multa Tabella probat :
 Vos Pueri interea, vos innuptaeque Puellae,
 Omne colorato spargite rore solum.
 Huc violas, huc ferte rosas, gratissima dona,
 Pallentes violas, purpureasque rosas.
 Mollibus in primis Aram cumulate Hyacinthis,
 Hos amat in primis, hos Hyacintha velit.
 Neclite textilibus redolentia serta Hyacinthis,
 Non aliter cingi vult Hyacintha comas.
 Nunc si quis sordens, si cui mens conscientia noxae,
 Ite procul, castis vult Hyacintha coli.
 Accedat purus candenti in veste Sacerdos,
 Et populum sanctis undique lustret aquis.

Mox

(1) Poenitentia.

(2) Charitas.

Mox ubi thura sacris dederit crepitantia prunis,
 Suffiat (3) elata terque quaterque manu.
 Tum pia sublato conclamet Turba fragore:
 Annue io sacris, o Hyacintha tuis.
 Sic tibi noster amor, sic publica vota probentur,
 Sic rata sint animi pignora certa boni.
 Sydera dum Caelum pascet, dum littus arenas,
 Semper adoratum tu quoque Numen eris.
 En humiles, en diva, tuis advolvimur tuis,
 Annue io sacris, o Hyacintha, tuis.
 Quacumque aspicias Caeli de parte rogantes,
 Excipe non surda, nam potes, aure preces.
 Tu potes Aethereo terris inducere rores,
 Tu Superis homines conciliare potes.
 Te stigii tremuere lacus, dum vita maneret,
 Nunc quoque te nigris horret avernus aquis.
 Mille tibi laudum tituli, tibi nomina mille;
 Annue io sacris, o Hyacintha, tuis.
 Sed jam rite preces visa est audire Hyacintha,
 Turba sile, & sacris annuit ipsa suis.

DIVO ALOYSIO GONZAGAE
ET
STANISLAO KOSTKAE
SOCIETATIS JESU.

Supplex libellus à studiosa litterarum juventute.

ELEGIA.

ILLUSTRES heroum animae, quos ardua virtus
 Jampridem aethereas jussit inire vias;
 Plurima sic vobis crescant altaria semper,
 Stentque foci templis, stent sua thura focis;
 Vosque colant late populi, divosque potentes
 Fixa probet cultis multa tabella tholis.
 At vos, si quis amor, si non indigna precamur,
 Excipite ò nostras aure volente preces.
 Scilicet en supplex uno simul ore juventus
 Vos rogat, & vestro a numine poscit opem.
 Vivimus in scopolis juvenes, ferimurque procellis,
 Nostraque in adversas nititur alnus aquas.
 Heu quantae circum syrtes! subterque supraque,
 Quôque minus dubites alea quanta subest!
 Principio in vitium nullo natura labore
 Flebitur, invisas cerea ferre notas.
 Inque nefas ruimus nullo suadente magistro,
 Et quae mens refugit discere, sponte patent.

Sponte patent faciles aditus ad crimina, sponte
 Hinc odia, hinc animum saevius urit amor.
 Nimirum in mediis latitant mala semina fibris,
 Indita materno semina ab usque sinu.
 Haec leviora tamen: sed quis discrimina fando
 Explicit, in mediis saepe timenda jocis?
 Circumstant blandi vultuque, habituque sodales,
 Perfida sed factio pectori corda gerunt:
 Dumque sacrum veri praetendunt nomen amoris,
 Aedificant tacitos in tua damna dolos.
 Quid si etiam laxis quisquam discurrat habenis,
 Nec sit qui facilis tempore ora manu?
 Quid si divitiae accedant, fomenta malorum,
 Cumque pudicitia praelia forma gerens?
 Quis regat errantem tot per discrimina puppim,
 Quis tutum in tanto gurgite signet iter?
 Vos o caelivago meliores sidere Divi
 Este duces, praesens auxiliumque date.
 Et gaudetis enim Divi, & servare potestis:
 Vos faciles sensit multaque turba sibi.
 Ah male virgineum ne polluat umbra pudorem
 Ne ferus inficiat lilia cara draco!
 Vos prohibete nefas; vos diram avertite pestem,
 Quam procul Icariis fluctibus austere agat.
 Nec minus o faciles nostro adspirate labori;
 Improbis, at nobis utilis ille labor.
 Seu nos nominibus casus aptare docemur,
 Seu cum temporibus jungere verba suis;
 Sive etiam placitas tentamus Apollinis artes,
 Et gratum Pindi sollicitamus iter.
 Vos date seculo per inaccessos labyrinthos
 Ire gradu, Aonium ducite perque nemus.

Heu nihil argutum nobis sternutat Apollo,
 Et numeri vena pauperiore fluunt.
 Saepe aliquid tota meditati scribimus hora,
 Mox abolet scriptas una litura notas.
 Quaerimus, ah quoties! non provenientia verba;
 Aut modo proveniunt verba latina parum!
 Pensaque cum fuerint multum vigilata, magister
 Illa notat rigida terque quaterque manu!
 Siccine luctandum est semper, sperataque nunquam
 Adveniet longo parta labore quies?
 Non erit ut lucos unquam videamus & umbras
 Dilectas Musis, laurigeroque deo?
 Quanquam o fallaces procul hinc discedite Musae,
 Tuque Poetarum fabnla Apollo vale.
 Vos divi nobis, Musaeque, & verus Apollo,
 Pro Pindo vester, proque Helicone favor.
 Et vobis olim, si fas meminisse, peractus
 Iste labor, date nunc quam cupiitis opem.
 Annuitis? Memori tradentur munera famae,
 Si quid id est, ullo non abolenda die.
 Per vos adveniant faciles in carmine vires.
 Inque decus vestrum fertile pectus erit.
 Non Lalage nobis, non blandae amarydis irae;
 Vos eritis grati carminis ampla seges.
 Forsitan & seri relegeutes scripta nepotes
 Proh quantum, dicent, profuit esse pium!
 Sic illi exemplo discant vos quaerere nostro,
 Vester & extrema in saecula cultus eat.

Quantum divo Petro debeat Roma.

E L E G I A;

ROMA, orbis regina, uni cui fata dederunt
Aeternum ut cunctis gentibus imperites:
Si non, ut quondam, galea praesignis & hasta
Trans mare fulmineas ire jubes aquilas,
Armorum terrore domans Libyamque Asiamque,
Et spoliis gaudens fulgere barbaricis:
Si lauri exciderunt, si rubigo exedit enses,
Si Martis soboles otia lenta trahit:
Proruta si demum, aut laceris pendentia muris
Templa vides, arcus, amphitheatra, domos;
Parce queri. Multum licet invida dempserit aetas,
Non tamen est prisco tempori ut invideas.
Plura dedit Petrus, majoraque, Vaticana
Cum sedem Imperii fixit in arce novi.
Hic tibi Tarpejum clivus compensat avitum;
Cunctaque cum magno foenore restituit.
Versum est Imperium, non demptum: assueta vocari
Terrarum domina, & nomen idem retines,
Et melius tanto, quanto coelestia praestant
His, quae cuncta suis casibus intereunt.
Justius at regnum est: non ferro aut sanguine partum,
Non quo iure hominum praevalet ambitio;
Sed gaudens auctore Deo, quo urgente colossum
Dejecit parvus comminuitque lapis; (1)

(1) In eo lapillo, cuius una icta dejectum comminatumque
S 3
fuit

Post ipse immensa concrevit mole , furentis
 Quam non ulla erebi vis pote dejicere .
 Latius inde etiam regnas , & firmius . Ultra
 Eufratem & Gangem , praeter & Oceani
 Metas , quas prisci non praeteriere Quirites ,
 Nunc Romana palam oracula per volitant .
 Indique , Brasilique , diu quaesitaque avaris
 Dives opum Peruia , & natio Malabarum ,
 Tucumanesque , aliquaque alio sub Sole reposti ,
 Ignota antiquis nomina Caesaribus ,
 In tua verba ultro jurant , tua dogmata poscunt ,
 Sancire obsequium sanguine discipiunt .
 Hoc adeo Imperium non , ut terrena , senescit
 Tempore , communi non cadet interitu .
 Fluxerunt quae visa olim florentia regna ,
 Forsan & haec , modo quae florida , deficiunt ,
 Assirii Medis , Medi cessere Pelasgis ,
 Omnia Romano succubuere Jovi ,
 Tu quoque Roma , triumphatum dum comprimis orbem ,
 Tu quoque victa tuo pondere concideras ;
 Felici at lapsu ; e mediis erecta ruinis
 Splendidior quando assurgis , & Imperio
 Aucta novo , sponsore Deo quod perstet ad omnes
 Fortunae casus , fataque nulla timet .
 Anne etiam post haec fasces , sellasque curules ,
 Et latos clavos , laurigerosque duces
 Moesta sinu quaeras ? Ten sortis munere Divum
 Tam bene mutatae nunc quoque poeniteat ?

fuit ingens Nabucodonosoris simulacrum , Christi regnum , id-
 est Ecclesiam adumbratam agnoscunt sacri Interpretes , cuius
 regni sedes est Roma ,

Quin age: sorte nova fruere, haud oblita prioris:

Unde tibi placeas, ista vel illa dabit,

Nobilior sane quod cunctis urbibus una es,

Majores dederunt; nam venit a proavis

Nobilitas, serisque ornat transmissa nepotes.

Hoc de praeterita aetate fruare licet;

Hoc licet ostentes, Curios, forteque Camillos,

Atque alios patrio e sanguine commemorans.

Verum illud gratare magis, quod proxima Coelo

Quantum usquam est hominum vertice transgrederis.

Nec te belli amor, unde alijs modo gloria, tangat,

Conflare aut falces denuo in arma velis.

Armorum cum tempus erat, quae gloria cunque est

Debellare acies, regnaque subjicere,

Est ea parta tibi sic, ut renovare triumphos

Si qua tuos speret gens, male desipiat.

At nunc bella gerant alii, queis imminet hostis,

Quosque vel ambitio, vel furor extimulat

Mutua in excidia. Hanc habeat sibi Thracia laudem,

Et si cui pulchrum est conselerare manus.

Heu miserum decus! Heu generi servanda ferarum.

Gloria, quae magnis parta latrociniis!

Nil tibi cum ferro, nil cum infelicibus armis

Roma, frui placido cui licet imperio.

Hoc tibi sorte datum est, subigas ut regna sine armis,

Et sola populos Religione regas.

Nonne vides, ultro ut substernitur Orbis inermis,

Armataeque negatum exhibet obsequium?

Alta catenati postquam Capitolia Reges

Vinctorum in turba scandere desierunt,

Sponte adsunt; flexo venerantur poplite magnum

Clavigerum, & sacris oscula dant pedibus.

Illos qui Rex est hominum, summique Sacerdos
 Numinis, ut natos accipit, & solio
 Altior, augusta venerabiliorque tiara,
 Et plusquam humano dignus honore coli.
 Sed tandem, ne quid priscis de laudibus optes,
 Mecum ades, & paulum e vertice Janiculi
 Te circumspicias. Superi! Quae se mihi Regum
 Turba offert, trabeis fulgida purpureis?
 Agnosco augustos Patres, sanctumque Senatum,
 Jura unde & leges orbem ad utrumque fluunt.
 En tibi parte alia fulvo spectandum hyacintho,
 Publicaque assistens agmen ad officia.
 Quale agmen! Collectum Europa cernis ab omni
 Quidquid ubique atavis inclytum, & ingenio.
 Ipse adeo populus generosae mentis, & acer,
 Se probat iliaco e semine progenitum.
 Anne alibi talis, tam Phaebo grata Juventus,
 Qualem hodie Arcadico in pulvere laeta vides?
 Quid memorem Procerum luxum, & regalia tecta?
 Tecta urbes totidem pene, nec ampla minus?
 Adde auro saturos currus, adde agmina equorum,
 Et fraena eductos aurea mandere equos.
 Adde iterum villis contracta ingentibus arva,
 Jugeraque in buxos ire coacta leves:
 Jugera, proh facinus! Cereri gratissima quondam,
 Nunc umbris tantum consita inutilibus.
 Privatis potiora tamen quae publica. Quis jam
 Non istas moles, quis fora, templa, vias,
 Signaque tot pario spirantia marmore, fontesque
 Innumeros, celso & vertice Piramides
 Non miretur? Nam vero miratur, & haeret
 Hospes ab extremo qui venit Orbe frequens;

Utqüe solent depressa inter viburna cupressi,
 Sic urbes inter ferre caput reliquas
 Rōmam ait, & merito. Nam si fas vera fateri,
 Ipsa reor nullo Consule talis eras.
 Caetera si desint, Templo quantum instar in illo est
 Quo Vaticanum fertur ad astra jugum!
Huic Thermae, huic Circi, huic quae grandibus Amphitheatra
 Ostentant se se nunc quoque ruderibus,
 Concessere. Unam hanc Superi defendite molem,
 Atque erit in tōto pulchrius orbe nihil.
 Tot jam fortunae, tamque inclyta dona, beatas
 Quae divisa urbes mille queant facere,
 Si collectā tehes, Petro te reddere grates,
 Cui visum hic sedem ponere, Roma, decet.
Donaque sint quamquam haec fortunae splendida, Petro
 Non tantum haec debes, verum alia atque alia;
 Quae si cuncta velim percurrere, verba loquentem
 Deficiant citius, deficiatque dies.
Ille Urbem sanctam colesti ex arce tuetar
 Scilicet, assiduam ferre paratus opem.
 Ah quoties Superum ille tuis de moenibus iras
 Depulit, inque oras transtulit Odrisias!
 Ah quoties... Sed quo Musae! Convertere tempus
 Vela retro, heu nimium littore abacca procul!

DE PETRO GRIMANO

inter Arcades

ARMIRO ELECTRAEQ

Cum Venetorum Dux esset inauguratus,

ELEGIA.

Ecquid, Regali postquam spectandus in ostro
 Adriacis latè finibus imperitat,
 Non haec Armirus nemora, has non amplius umbras
 Curat, ab ipse suo degener ingenio?
 Hoccine Pastorem egregium potuisse putandum est,
 Tam bene qui septem lusit arundinibus;
 Non hoc ille quidem haec inter myrteta canebat;
 Non haec ille animi praebuit indieia.
 Nam memini sceptris humilem praeponere thyrsum,
 Otiaque haec prae omni discupere imperio,
 Talia nec cecinit tantum, sed cortice vivo
 Insculpsit, non ullo umquam abolenda die,
 Quae modò Pastores annoso haerentia truncō,
 Sacra velut, timidis respiciunt oculis,
 Attamen, ut gravior nunc illi sarcina rerum
 Imposita, & quo olim carmina concinuit,
 Illo nunc ore in magno dat jura Senatu,
 Quaque priùs citharam fert modò sceptra manu:
 Heu vereor subeant ne nostrae oblivia gentis,
 Et quantum Arcadiæ est effluat ex animo,

Nam Bizantinas tūrres, regnataque quondam
 Littora, barbaricasque Othomanum exuvias
 Forte animo versans, Asiae nūnc fraena minatur,
 Et parat Ioniis currere vīctor aquis.
 Forte etiam vigiles in publica commoda curas
 Dividit, & longas Regum inimicitias,
 Armaque Teutonico heu nondum satiata crōore
 Secum agitans, trepidæ prospicit Italiae.
 Quidquid agat, non ille jocis jam tangitur istis,
 Totus & in magnis haeret imaginibus.
 At sciat hoc saltem, nos illo Principe plausum
 Tollere, & immensâ incedere laetitiâ:
 Nec jam aliud gratum esse adeo, quam saepe vocare
 Pastorem, teneros quo modulante sonos,
 Haec olim fremitu nemora insonuere secundo,
 Excitique omnes omnibus è latebris,
 Huc Satyri, huc denso properarunt agmine Fauni,
 Sylvanusque pater, totaque Capripedum
 Turba haesit circum auriculis horrentibus, atque hinc
 Laeta incompositis motibus exiliit.
 En erit ut gratum recolens Armire laborem,
 O nostris tandem viete cupidinibus,
 Affusam agnoscas, tua quondam gaudia, pubem,
 Blandus & his animum cantibus admoveas?
 Spero equidem: Nec enim, si rite audita recordor,
 Interdum Heroas ludere poenituit.
 Scimus & hoc quantum valeas in pulvere, scimus
 Quam largè Ascraeo de latice haurieris,
 Numine dignatus multo. An verò abdita cuiquam
 Ingenii ubertas, quam dedit aqua Tibi
 Parca? Tibi Aonii jam tum patuere recessus,
 Cum primùm est almae lucis aperta via.

Per tua deprensae incunabula serpere latiri,
Vagisse & certum diceris ad numerum.
Quin Tibi, quod mirum foret omnibus, exaudita
Carminibus somnum arcessere Pierides.
Ergo haec qualiacunque preeor ne despice, & idem
Regale interea pone supercilium.
Grandia Tu posthac peragas vel pace vel armis,
Nostrum erit illa sacris prodere carminibus.
Quocunque & tandem malis clarere triumpho,
Hic cithara, hic Vates, hic tibi laurus erit.



G L A U C I N O M I N E
C A R O L O C O L L I G U L A E C A R D I N A L I

*Plaudunt Piscatores quod in lacum Circeum,
reparato veteri incili, novum piscatum
induxerit.*

E C L O G A.

C E L A D O N , L Y C I D A S .

SCEL. Si vacat, aquoreo fluitant nam retia fundo
Interea, nec adhuc jačtas adducere nassas
Suadet prima quies, dubiaeque exordia noctis;
Dic age, quis Piscatores miseratus inertes,
Haec stagna, haec nobis ditavit caerulea rhombis,
Infaecunda prius? Quoties nam laeta reviso
Littora, mi toties etiam Deus ille recursat,
Ille Deus, Lycida, nobis qui haec munera fecit,
Nec tamen auditum residet sub pectore nomen.

Lyc. Ten Glauci oblitum Celadon? Tibi nomen amicum,
Dulce adeo nomen petuisse e pectore velli?
Et Glaucum tamen ingeminant zephyrique tepentes,
Quique mari insultant horrendo murmure cauri,
Et Glaucum fracti referunt ad littora fluctus.
Quid nisi habent Glaucum scopulorum immania saxa
Undique, vicinumque nemus, qua se arduus effert
Circaeus; late & subiectum despicit aequor?
Nam scopulis illum scripsere, & querubus altis

Nereides Nymphae. Quod si modo verba sequantur,
Ipsi etiam Glaucum vellent; puto, dicere thynni.

Ostreaque, & latebris scopulorum assuetus echinus.

Cel. Certe nescio quid mussant, pleno agmine quando
Certatim approparent, ultroque in retia tendunt,
Praeveniuntque dolos; ut vix cava licia tantum
Ferre queant numeram, & frangantur pondere linea.
Adde quod insuetum ludunt delphines in undis,
Exultantque freto, & caudis per mutua juncis
Dant motus incompositos, & caerulea verrunt.

Lyc. Blanditur, mihi crede, & vestigalia pendit
Squammea turba suo Domino. Nam si bene nosti,
Hiç ubi nunc undasque vides, tractusque marinos,
Neptuni regna alta, palus in honora jacebat
Jampridem, fluctuque innabat inutilis alga;
Et virides cannas, & juncos humor alebat
Putridus, excluso pelago, obstructoque canali,
Quem salso latici quondam patuisse ferebant.
Ah quoties ipse, ipse hamum fallacibus undis
Demisi demens, faciles ad pabula mullos
Expectans, nullusque pependit arundine nullus!
Ast ille, ut rerum priscarum haud nescius, omni
Aggere dejecto; rursumque patescere jusso
Incili antiquo, magni consortia ponti
Reddedit, errantesque haec in vada currere pisces
Edocuit, sedemque dedit, qua gravior usquam
Nulla patet quantum se porrigit Amphitrite.
Nunc ergo memores doni (nam munera tangunt
Ipsas crede feras, tangunt & munera pisces)
Sponte fluunt, gaudentque capi; si forte latinam
Advechi in sedem, delecta in pabula ituri,
Luptaque patriciae victuri taedia mensae,

Ad Dominum ferri dignentur, & ora subire
Egregia.

- Cel.** Hoc est quod creber mihi retia murex,
Nunc recolo, ingreditur, nulla licet arte vocatus.
Illum, credo, juvant proprii dispendia succi,
Inficiat Glauci proprio dum vellera succo,
Vellera, quae longo tempore nerunt.
- Lyc.** Nos tamen in primis, nos cari munera Glauci
Obstringunt, Celadon. Quod sunt sua linteal cymbae,
Quod volueri pennae, nobis ille. O ubi Glauce!
O liceat saltem veros extromere sensus
Pectoris, & certo testari pignore amorem.
- Cel.** Dulce satis imber, nimius quae torruit aestus,
Aestus palmitibus, quos plurimus impluit imber,
Agricolae segetes, nobis tua munera Glauce.
- Lyc.** Dulce apibus flores primo de rore madentes,
Dulce hyemi soles, aestivis solibus umbrae,
Arboribus frondes, nobis tua munera Glauce.
- Cel.** Ante gravis labor, & vigilatae sub Jove noctes,
• Dum jacimus pelago, trahimisque ad littora nassas;
At postquam haec nobis ditasti caerulea Glauce,
Et vigilare juvat noctes, & ferre laborem.
- Lyc.** Ante metus gracili fluctus tentare phaselos,
Dum furit, & tumidis immurmurat Africus undis:
At postquam haec Nereum duxisti in littora Glauce,
Ridemus ventorum iras, ridemus aquarum.
- Cel.** Pergite io tutae pacata per aequora cymbae,
Textilibusque dolis, & vimineis labyrinthis,
Nam licet, implicitos ad nos adducite pisces.
Non fugient timidi, quaerent quoque vincula pisces.
- Lyc.** Este procul caurique graves, nymphae minaces,
Nullaque securis tempestas incubet undis.

Has sibi Glaucus aquas, hanc numine protegit oram.

Cel. Sed quis me Lycida, quis me modo decipit error?

En erit ut liquidas unquam descedat in undas

Piscator, tractetque hamos & retia Glaucus?

Illum ego velivolae sublimi in parte Biremis

Ad clavum stantem aspicio, cursusque regentem.

It secura volans tranquilla per alta Biremis,

A puppi spirante noto. Centum ordine longo

Incumbunt remis nautae, spumasque fatigant.

Lyc. Desine plura. Ratem agnosco, & felicia lina

Piscatoris Idumaei, qui maxima rerum

Repperit imperia, & geminas in littore claves.

Forsitan & si quid veri mens augurat, illi

Ingentem Glaucum spectata per ardua virtus

Sufficiet quondam, & factorum lueidus ordo.

Cel. Haec si fata Virum expectant, si talia fas est

Non vana sperare fide, jam nil moror ultra:

Ite leves calami, cistaeque & lina valete,

Dulcia lina valete, olim mea maxima cura.

Te Glauce his oculis moderantem fraena beatas

Abietis aspiciam: tum laeto invisa resolvant

Stamina fatales Divae, condarque sepulcro.

Lyc. Sed jam per tacitum rutilant altissima Coelum

Sydera, & undantes suadent adducere nassas.

Hic labor, haec reliquae sit cura novissima noctis.

AD

A D G O L M A R I U M

S I V E

AD HIERONYMUM LAGOMARSINUM

E S O C I E T A T E J E S U

Humaniorum litterarum Florentiae professorem.

E L E G I A.

Quon mea, Golmari rerum dulcissime, laudas
 Carmina, meque bonis vatibus adnumerat,
 Exemplaque tuo pueris vitam erudiendis
 Totam impendere aves, est id amicitiae,
 Quae tibi me, quamvis arte ingenioque carentem,
 Commendat, more interpolat atque suo.
 More suo; nam fingit amor sibi digna placere
 Omnia, vult oculis quae placuisse stis:
 At vitia & mendas & turpia quaeque videre
 Abnuit, hoc uno caecus in officio.
 Qualiacunque tamen mihi carmina dictat Apollo,
 Sint etiam modico digna favore legi;
 Indulges animo nimium, qui perlita cedro
 Esse velis, tantum nec meruere sophos.
 Tu certe meliora facis neque enim abdita nobis
 Vis est ingenii, quam dedit aequa tibi
 Parca. Tibi Aonii jam tum patuere recessus,
 Cum primum est almae lucis aperta via.

TOM. III.

T

Per tua sunt visae cùnabula serpere laurus;
 Vagisse & certum diceris ad numerum;
 Quin tibi, quod mirum forēt omnibus, exauditae
 Carminibus somnum accersere Pierides.
 Post vitae spatiū omne tuae quis nescit, amicis
 Esse datum studiis? nunc tibi Virgilius
 In manib⁹: jam cum Flacco Plautoque tibi res;
 Et quantum est vatum tē sibi habet comitem.
 Quo minus est mirum, si te grandi ore sonantem
 Audit inexpletis Tuscia littoribus?
 Quique fluit puro amne Arnus, tē saepē canente
 Haeret, & eloquium purius ire tuum
 Miratur. Sed mi exigas int̄ carmina vires
 Et tenui plectro ludere dī dederunt.
 Te ne igitur nostras tantum laudare Camaenas!
 Nimirum rauco est ansere captus olor.
 Nec minus indicium est animi ingenui & studiosi,
 Me rude donatum quod cupis esse iterum
 Antiquo inclusum ludo. Sed, si puerorum
 Taedia ferre queo longius, inteream,
 Heu satis & super est omnino quinque per annos
 Hoc durasse malum. Nunc mihi naufragio
 Ejectus videor, tutāque expostus in actā,
 Votaque sollicitor reddere coelicolis.
 Sed non tam prudens mihi quisquam suadeat auctor,
 Colligam ut infaustae saucia membra ratis.
 Profuerit vitasse semel saevam aequoris iram,
 Narrare & quantum res habet ista metus.
 Profuerit scopulos, & quas evadere syrtes
 Contigit, e sicco littore prospicere.
 Denique non iterum certum est huic fidere monstro,
 Nec rursum in tanta vivere tristitia.

Quod si forte meis faciunt obstacula notis
Litterulae, excultus queis putor esse satis.
Pieridasque, Patremque lyrae, quantumque Minervae est
Fluctibus en ultro mergimus Adriacis.
Vel sine Apollineis possum jam vivere nugis.
At nimis est vitae Gymnas iniqua meae.
Jamque vale, Golmari. Animo majora monentem
Te satis insulso hoc carmine detinui.

CL. V. POMPEJO COMPAGNONIO

ROMAE COMMORANTI

*Deinde Auximatum Episcopo doctissimo,
ac praeclarissimo, S.*

ELEGIA.

SAEPE ego promissi reus, atque ubi nulla fuissent
 Promissa, urbani conscius officii,
 Nec plane securus amicitiae, haud ita pridem
 • Jungere quam tecum mi dederunt Superi,
 Scribere nescio quid tibi discupii, quod amoris
 Te nostri faceret, teque tui memorem;
 Namque amor his alitur studiis: Hinc saepe papyrus
 Scripturo similis corripui & calatum,
 Et memini titulum bis me praefigere chartae,
 Perscriptaque salute haesit epistolium.
 Nimirum quod te, Pompei, nil charius usquam
 Sit mihi, quod te adamem plus anima atque oculis,
 Quod venerer, summis quod te mortalibus aequem,
 Quod tibi fausta velim esse omnia quotquot erunt;
 Haec quae in promptu aderant, & longum & inutile visum est.
 Persequi: Amicitia has respuit illecebras;
 Quaeque meras laudes habet, officiosaque verba,
 Est una ex rebus littera futilibus.
 Sed neqne bellorum eventus, quantusque sub Arcto
 Mars fremat, hinc ad te scribere me decuit;

Nam credo dixisse aliquid, quod maxima Roma
 Nesciret. De me denique nil poteram;
 Quantum etenim fuit irarum, quantamque salubris
 Libertas Satyrae parturiit rabiem,
 Jurgiaque, strepitumque: & jussa silentia, nosti
 Jam tum cum affari me tibi collibuit. (1)
 Nil ego celavi te tunc; utinamque liceret
 Nunc aliquid dictis addere triste minus;
 Nec probosum adeo posuissent Numina finem
 Incaepitis, quorum mens fuit ingenua.
 Ast immota manet sententia ferre tacendo
 Quidlibet, & flagris parcere vindicibus.
 Dumque furunt impune hostes, & voce lacescant,
 Cogor in obscura vivere desidia.
 Heu lex! Heu nimium prudens inimicaque virtus,
 Quae finem rixae vulnera nostra facit!
 Plusquam hostes nocuere mihi interdicta meorum:
 Nil gravius poterat fingere Thymoleon.
 Quae cum ita sint, quid me perscribere oportuit, omnis
 Quem seges & fandi copia deficeret?
 Nec tamen abfuerunt turbantes otia curae,
 Quarum haeret semper turba frequens lateri.
 Adde & segnitiem, si vis, quae maxima, quamque
 Causari poteram verius & citius.
 Interea advenit vetitarum prima dierum, (2)
 Ferre quibus longam cogimus esuriem;

(1) Auctori Satyra in Graeculos ulterius conscribendas vetitum
 fuit, quod ille quidem iniquo animo pertulit.

(2) Cibi quadragesimales innuantur.

Inter & haleces, infinitumque legumen,
 Grata minus fontis munera Castalii;
 Er vero omne aliud vellem, quam scribere versus;
 Invitaeque adsunt hic modo Prierides;
 Lentaque conanti vix tandem verba sequuntur:
 Usque adeo multum est tempora dispicere;
 Nec tantum poma & segetes sua tempora norunt,
 Ast etiam studia, & carmina praecipue.
 Duramus tamen; & nostro modo fiat amoris
 Officioque satis caetera negligimus.
 Nulla venus quamvis elegos commendet, habebunt,
 Quo placeant, sensus si pateant animi.
 Sed te quae fortuna isthic, quae cura morantem
 Distinet? En erit ut te videat proprius.
 Aula potens, violaque velis incedere Praesul,
 Id quod amici omnes, quod patria, atque tui
 Jamdudum exoptant? Heu tandem oblite prioris
 Propositi, & nostris vieste cupidinibus,
 Assere te Regno, quo te tua vivida virtus,
 Quo fatum vocat, & publica judicia.
 Scilicet ut semper privatae commoda sortis
 Tot divum donis Stoicus anteferas?
 Totaque sit merces studiorum scire quod optes,
 Semper & in mediis vivere codicibus?
 Cede Deo, & natus curis majoribus, aude
 Et famae vultum ostendere & invidiae.
 Quid cessas? abeunt anni, atque occasio calva
 Diffinit, heu tarda non revocanda prece.
 Eja age, rumpe moras: Infidos Navita ventos
 Qui pavet & scopulos, nunquam erit ut redeat
 Dives ab aurora. Vana est prudentia, quae te
 Nil docet audere, & vivere in ancipiis.

Aula mare est, fateor, syrtes, scopulique timendi:
 Projectos passim est cernere navifragos.
 Nulla fides vento: A puppi jam spirat amicus,
 Jam transversa agit in funera certa ratem.
 Sunt quibus ipsa nocet facies placidissima ponti,
 Et jubet immotos taedia longa pati:
 Inde animi angores, & desperatio portus,
 Inde acres biles, & cita canities.
 Sed tibi, quem virtus praeit, & constantia vivax,
 Nil tanti fuerit, littore ne soluar.
 Non invisa adeo discrimina portenduntur,
 Cui favet aura, ultiro ut sternitur Oceanus,
 En, alia ut sileam, tibi *Stella Albana* coruscat,
 Datque animum laetis Hannibal auspiciis. (3)
 Qui vir, & oh, Superi quantus! si cetera desint,
 Hoc non degenerem se probat esse suis,
 Virtutem quod amat, pulchras quod provehit artes,
 Et bene cui caepit velle, bene usque facit.
 Dii, servate virum, Dii, si vos publica tangunt
 Commoda, si cordi est Relligio & pietas.
 Vos decet hunc(4)patrui praeclarar exempla sequentem
 Fortunare, & idem ducere ad Imperium.
 Jam redeo ad te, mi Pompei, & si denique gratum
 Consilium vis atque utile, Fac valeas.

Maceratae Idib. Febr. 1739.

(3) Pompejus Compagnonius a praeclarissimo ac vere amplissimo Card. Hannibale Albano, cuius spectatissimae familiae Stella insigne est, ut apud se *Auditoris* munere ut vocant, fungeretur, fuit exoptatus.

(4) Clementis XI. P. O. M.

AD ALEXANDRUM ALBANUM

CARDINALEM

*De Caesaris numismate ejus sumptu
industriaque cuso.*

EPIGRAMMA.

Hoc etiam Princeps debet tibi maxima Roma,
Quod liceat sacro Caesaris ore frui.
Scilicet illa immortali frons ardua serto,
Cui Savus & famulis subditur Ister aquis,
Tu facis ut pulchro nobis scintillet in auro,
Laeta eadem, ridens, imperiosa, minax.
Additur augustum genus, ut spirantia nosci
Ora queant, parvo totaque in orbe domus.
At quae majestas operis! Quae gratia formae!
Quantus in antiqua simplicitate labor!
Mirari haud facilis miratur Roma numisma
Egregium, & fingens saecula prisca sibi,
Hoc sibi gratatur, Te vivo, ut caetera desint,
At saltem ingenium non periisse vetus.

AD EMINENTISSIMUM PRINCIPEM
JOANNEM FRANCISCUM ALBANUM
CLEMENTIS XI. P. M.
FRATRIS AB NEPOTEM

In Patrum Cardinalium Collegium cooptatum.

EPIGRAMMA.

Qui Te cumque videt, Princeps, quamquam omnia circum
 Miretur decora, & Principe digna putet;
 Te tamen in primis tacitus miratur, & haeret,
 Delapsum e Superis num putet esse plagis.
 Nam quae majestas! Laetae quae gratia frontis!
 Ingenio quantus spirat in ore pudor!
 Eminet ex oculis pietas, quae plurima mentem
 Occupat, & quiddam, quo timeatur, habet.
 Ingenium accedit, quo non praestantius ullum;
 Et nitidus, vena & divite sermo fluens.
 Adde his traductam studia inter sacra juventam,
 Doctrinaeque haustas nobilioris opes.
 Adde aditus faciles, & fastus nescia corda,
 Et quantum est animus quod bene cultus amet.
 Quid memorem antiquas laudes, quid facta Parentum
 Inclita? quid patriae stemmata clara domus?
 Certarunt Natura simul, Fortunaque in uno;
 Sed tua te Virtus vexit utramque super.

Macie ista virtute Heros: Et Goccina quando,
Romanam & Trabeam, praemia digna, geris;
Terrarum assuesce imperio: Majora supersunt
Scilicet, & siquid publica vota valent,
Quae Juveni dedit in magno fulgere Senatu,
Quondam aliquid majus maxima Roma dabit.

AD AENEAM SILVIVM PICOLOMINEUM

AMPLISSIMUM PRAESULEM

DEINDE S. R. E. CARDINALEM

*Cum Testudinem immanem casu ejeclam in litus
eleganti carmine celebrasset.*

EPIGRAMMA.

TESTUDO immanis, Scythici pigra incola ponti,
Qualis in occiduo cognita nulla mari,
Ausa per ignotos ad nos decurrere fluctus.
Haesit Tyrrhenis pondere fessa vadis.
Et voluit reor ipsa capi, visura Quiritum
Scilicet augustos hospita magna lares.
Vidit, & attonitam procedens lenta per Urbem
Terruit ausonias bellua vasta nurus.
Post, ceu laeta mori, & voto defuncta supremo,
Exanimis proprio in cortice procubuit.
Felix sorte sua! at multo felicior inde,
Versibus Aenea quod celebrata tuis,
Carmine victuro, & tanto Scriptore superba,
Inter sydereas ibit ad astra feras.


SEMINARIUM ROMANUM
CAROLO CARDINALI REZZONICO
ALUMNO SUO

Nunc S. R. E. Camerario amplissimo

GLORIATUR.

EPICRamma.

ILLE domus, quondam studiorum fida tuorum
Mater, & hospitio CAROLE clara tuo,
Heroum quoties longo videt ordine vultus,
Materno meminit quos aluisse sinu,
Exultatque animis, generosa & prole superbit,
Nec vanum placeat quo sibi nomen habet.
Attamen in tanto cum Te videt illa Senatu,
Nescio quod majus concipit ore decus.
Nempe alios, inquit, superaddita tempore virtus
Paulatim ad superos extulit usque gradus:
Hunc ergo formavi totum, cumque ista terebat
Limina, jam sacro Murice dignus erat.



S T A N I S L A U S . I.

P O L O N I A E R E X

*Inter Pastores Arcades solemnii adclamatione
adscribitur, indito uomine*

E U T H Y M I I .

E P I G R A M M A .

EUTHYMO ut praestent vario de flore corollas,
Hic humiles violas colligit, ille rosas.
Est etiam Ascrea qui carpit ab arbore frondes,
Ut paret augustis laurea serta comis.
Parcite sed flori Pastores, parcite frondi,
Nulla decet sacrum res perityra caput,
Astra ego si possem rutilum contexere in orbem,
His nempe Euthymii tempora cincta velim.
At satis ipse suis fulget virtutibus Heros,
Nec sertum est aliud, quod velit ille magis.

AD EXCELLENTISSIMUM
ABUNDIUM REZZONICUM
CLEMENTIS XIII. P. M.
FRATRIS FILIUM.

*Senatorem Urbis renunciatum artium optimarum
cultorem ac vindicem.*

EPIGRAMMA.

Non ergo antiqui Majestas illa Senatus
Concederat, nullo restituenda die.
Stat sua Tarpejo jam nunc reverentia Clivo,
Agnoscitque suam Curia prisca togam.
Aspicis hunc, qui celsus equo; spectandus & auro,
Invehitur sacri in tecta verenda jugi?
Quo scandente fremunt laeto clamore Quirites,
Agmine quem longo Romula turba praedit?
Aspicis hunc forma praestantem, & moribus aureis,
Hunc annis juvenem, vita, animoque senem?
Scilicet hic fasces reddit, sanctasque secures,
Reddit Conscriptos hic tibi, Roma, Patres.
Par certe officium, par pompa, haud gloria dispar,
Nec mens distandis legibus, apta minus.
Discrepat hoc tantum, quod nunc effulget in uno
Consensus magni, quod fuit ante, decus.

IN ADVENTU
PETRI LEOPOLDI ARCHIDUCIS
 ET
MARIAE ALOYSIAE
 HISPANIORUM PRINCIPIS
MAGNORUM HETRURIAE DUCUM.

EPIGRAMMA.

INVIDIT geminos Tibi sors Hetruria Reges,
 Principis aspectu ne fruerere Tui.
 Carolus, ut nosti, majora ad regna vocatus,
 Vix Tibi conspectus sustulit inde pedem.
 Hospitis in morem Franciscus se obtulit, illum
 Romani Imperii nempe vocabat apex.
 Sic gemino felix eadem viduataque Rege,
 Ille quod creptus, quod procul alter erat;
 Aversos Divos, & Fata inimica dolebas,
 Scilicet aeterni nescia consilii.
 Sed jam parce queri. Reddunt cum foenore Divi
 Quod tibi per varias surripuere vices.
 En quidquid poterant divisi afferre Parentes,
 Conjunctum in Natis exhibet una dies.

AD EXCELLENTISSIMAM D.
FLAMINIAM ODESCALCHIAM CHISIAMI
 LECTISSIMAM ADOLESCENTEM
Inter Arcades adscriptam indito nomine
 EURONIMES.

EPIGRAMMA.

SEMPER ut Arcadiae secreta in parte latentem
 Quaesitura virum clamitat EURONIME?
 Myrtaea vel liceat perrumpere septa volenti,
 Et querula ad surdas haereat usque fores?
 Stat sacros resonare aditus, quo nempe sodalem
 Hic quoque se (1) Astridio praebeat ipse suo.
 Est illi species nec Diis indigna placere,
 Est cultum egregiis artibus ingenium.
 Magna etiam nostris accedit gloria rebus,
 Si studio certent Foemina, virque pari,
 Alter facta virum, teneros canet altera amores,
 Haec lituo, grandi perstrepet ille tuba
 Sic Phaebus: Laeto plaudunt clamore Sorores,
 Nec mora, venturae laurea serta parant.

Hinc

(1) Excellentissimus D. Sigismundus Chisius ex Farnesii &c.
 Principibus, *Euronimes lectissimus Conjur*, ac poeta ipse
 cultissimus, cuius extant carmina nonnulla in Opera: *Arcadium Carmina. Pars altera.* Edit. Rom. 1756. pag. 49.

Hinc intrò admissa EURINOME, viridique revincta
 Fronde comam, Arcadicum laeta pererrat agrum
 Ipsaque nunc jungunt sacrae umbracula sylvae,
 Quos tecto & thalamo tam bene junxit amor.



FIDEI TRIUMPHUS

PER

S. THOMAM AQUINATEM.

EPICRITAMMA.

MENE triumphato victam decidere campo?
 Se nostrâ impietas clade superba ferat?
 Illa ego, quae rerum incedo Regina sacrarum,
 Sustineam turpi subdere colla jugo?
 Me miseram! multos quid bella exacta per annos
 Profuerint, palmam si tamen hostis habet?
 En erit, ut quisquam nostras procumbat ad aras
 Praeterea, & supplex det piâ thura foem?
 Id reputans, passis flebat miseranda capillis
 Religio; cultus nec super ullus erat.
 Cum subito laeto visa est se tollere vultu,
 Rursus & incomptas aedificare comas.
 Scilicet aethereis vox edita venit ab oris,
 Peryasitque ingens littus in omne sonus.
 Tolle caput; cecidit tandem superata duella
 Impietas, Thomas, aspice, victor adest,

Tom. III.

V

AD JOSEPHUM MARIANUM PARTHENIUM

S E U

AD JOSEPHUM MARIAM MAZZOLARIUM

S. J.

Electricorum Poematis Auctorem.

EPICRITICALIA.

Dum sic Naturae vestigia abdita, Vates,
 Ausus inaccessos primus adire sinus,
 Magna quidem, ut video, paucis & cognita pandis,
 Talia sed cultis versibus ipse facis.
 Me certe hi rapiunt mira virtute, trahuntque,
 Sic ut saepe eadem, quae modo lecta, legam.
 Qualis deinde nitor! non his splendentior ulla
 Quae de Sauromatum littore gemma venit. (1)
 Ludere quin etiam placuit quo more pusillam
 Implicat interdum succina gutta feram.
 Ut cum tam nitido cerno me carmine clausum,
 En dicam subito musca revincta gelu.
 Atque equidem fierem te laudatore superbus; (2)
 Nonnisi at electri lumine musca nitet.

(1) Electrum, sive succinum intelligito, quod a Sarmatico Oceano, ubi ex arboreis pinæ generis distillans, & mari exceptum indurari dicitur.

(2) Inter viros illustres, qui passim in electricorum poemate memorantur, perhonorifica etiam de *Cordara* ab auctore mentio fit.

AD CLEMENTEM PACCARONIUM

PATRICIUM FIRMANUM

Ut suas in Horatium Paraphrases edat in lucem.

'*EPIGRAMMA.*

QUIN properas gelido Clemens superesse sepulchro,
 Et nomen flammis eripuisse tuum?
 En sedet ante fores jamdudum, laetaque gestit,
 Ni prohibes, dignos Fama subire lares.
 Ede, precor, multus tibi quae dictavit Apollo
 Carmina, post nullos interitura dies.
 Jamque alio numeri per Te sonuisse cothurno
 Incipiant, cecinit quios Venusinus olor.
 Ipse capillatos posthac vexabis Ephebos
 Scilicet, & Flacco subjiciere Comes.
 Te, si quando illic abstruso pagina sensu
 Occurret, roso consulet ungue Puer.
 Ipse etiam doctas intrabis Palladis arcis,
 Assuesces multo pollice & ipse teri.
 Denique dum lyrico stabit sua laurea Vati,
 Incumbet pariter crinibus illa tuis.



AD CLEMENTEM XIV. P. M.

EPICRIMMA.

Quid sibi, magne Pater, geminae quae subdita clavi
Stemma refert, quidnam brachia bina volunt?
Augurium capio. Dederint cum Numinis claves,
Esse illis totidem nunc volvare manus.
Scilicet ut residet quae Romae summa potestas,
Virtuti posthac sit quoque juncta pari.
Quid non sperandum, quum virtus jura tuetur
Imperii, & vires exserit inde suas?
Sunt igitur Claves, non desunt Brachia Romae,
Principe Te, super haec postulat illa nihil.



JULIO CAESARI CORDARAE

V. CL.

FRANCISCUS CARBONIUS

S. P. D.

Fuit is Auctor latini poematis de Sardeia intemperie?

Sic tibi viridis, venuste amice,
Plena robore perstet & senectus;
Iniectum ingenuo meo Nigildo
Scrupulum exime, qui in dies & horas

Aegrum praegravat, acriusque pungit.
 Errantes male ferre & implicare
 Pedes hactenus ipse suetus, omnes
 Severus latices Thyonianos
 Jam voto vetuit sibi, meracis
 Aquis institit, & sitim fugare.
 Hic ipse abstemius, reusque voti
 Te te consultit, atque sciscitur,
 Cerevisia num sibi perinde,
 Vini ac potio quaelibet, vetetur.
 Tu sacrae pater eruditionis,
 Tu qui nunc Maro purus ipse putus,
 Et nunc Livius ipsem videris,
 (Nedum digna Marone, Livioque
 Scriptitas lepide & diserte & apte)
 Atticis salibus facetiisque
 Conditum eja agesis tuum Nigildo
 Promas judicium. Acquiescat ipse;
 Plaudam ego: officii memor rependet
 Ipse millia mille gratiarum:
 Ego dulcisonam Catulliano
 Lyram sollicitans subinde plectro
 Te ad Caelum merito vocabo cantu.

Canali viii. Cal. Febr.

CICICCLXXXII.

AD FRANCISCUM CARBONIUM

JUL. CAES. CORDARAE

Responsum.

EPIGRAMMA.

QUID mihi cum pedibus? Gula in hoc discrimine clamat;
 Quid nobis, clamant ilia, cum pedibus?
 Nitatur baculo, pedibus quicumque laborat,
 Aut curru incedat, si pote, & id melius.
 At fraudare gulam pretioso nectarē, at alvum
 Egelido tantum flumine proluvere,
 Ut bene sit pedibus, scelus est. Ego non faciam hercole,
 Sic bona me servent Numinā, dum sapio.
 Nam quota pars nostri calcanea? perdere totum
 Mi suasit nemo, particula ut valeat.
 Sed neque quid possint illic praestare fluentes
 E summo latices gutture, perspicio.
 Longa via est; medio in cursu dispergitur humor;
 Guttula ad extremos vix venit una pedes,
 Ergo cervisia abstineas, vinoque, perinde est;
 Potu omni careas, haud minus aeger eris.
 Si vitium insedit, nulla depellitur arte;
 Nil isthic medicus, si mihi credis, agat.
 Sutoris tantum, laxam quum finget alutam;
 Efficiet, nimium ne cruciare, manus.
 Expertus doceo: intereaque valere Nigildum,
 Et quantum est unquam Loripedum, jubeo.

INDEX

ORATIONUM ET CARMINUM

Quae in III. Volumine continentur.

- Oratio in funere Caroli VI. Imperatoris.* pag. 9
Gloria Imperii Religione & magnitudine animi vindicata.

- Panegyricus Gregorii XIII. P. O. M.* 39
Ecclesiae Majestas Religione & bonis artibus propagata.

- Oratio in studiorum instaurazione.* 67
Quibus artibus ingenii tarditas redimenda.

- Epistola Jo. Antonio Sergio.* 87
De cultu sermonis in jurisprudentia adhibendo.

SERMONES.

- | | |
|---|-----|
| <i>De Graecolorum sui temporis Litteratura.</i> | |
| <i>Sermo Primus.</i> | 101 |
| <i>Sermo Secundus.</i> | 117 |
| <i>Sermo Tertius.</i> | 136 |
| <i>Sermo Quartus.</i> | 155 |

- | | |
|--|-----|
| <i>In Graeculos Sermonum suorum
Obtrectatores.</i> | |
| <i>Sermo Quintus.</i> | 171 |

- | | |
|---|-----|
| <i>Concilium Apollinis & Musarum.</i> | |
| <i>Sermo Sextus.</i> | 187 |

- | | |
|--|-----|
| <i>In Fatuos numerorum divinatores
vulgo Cabalistas.</i> | |
| <i>Sermo Septimus.</i> | 203 |

- | | |
|--|-----|
| <i>In rerum alienarum inspectores
vulgo Ficcanasi.</i> | |
| <i>Sermo Octavus.</i> | 221 |

<i>Carmen I. Clementi Aug. Bavariae Principi, & Colonensi Archiepiscopo Inaugurato.</i>	245
<i>Carmen II. In B. Hyacinthae Mariscottae Apotheosi.</i>	255
<i>Carmen III. In Quaestionem de Modis.</i>	263
<i>Elegia I. In B. Hyacinthae Mariscottae Apotheosi.</i>	271
<i>Elegia II. D. Aloysio Gonzagae & D. Stanislao Kostkae S. J. supplex libellus studiosae litterarum Juventutis.</i>	274
<i>Elegia III. Quantum D. Petro debeat Roma.</i>	277
<i>Elegia IV. De Petro Grimano, quem Venetorum Dux inauguratorus esset.</i>	282
<i>Ecloga. Carolo Colligulae Cardinali Glauci nomine.</i>	285
<i>Elegia V. Ad Hieronymum Legormatinum.</i>	289
<i>Elegia VI. Pompejo Compagnonio Auximatum Epis- copo.</i>	292
<i>Epigramma I. Ad Alexandrum Albanum de Caesaris Numismate.</i>	296
<i>Epigramma II. Ad Jo. Fr. Albanum in PP. Cardi- nalium Collegium cooptatum.</i>	297
<i>Epigramma III. Ad Aeneam Sylvium Piccolomineum Cardinalem.</i>	299
<i>Epigramma IV. De Carolo Cardinali Rezzonico Ca- merario S. R. E.</i>	300
<i>Epigramma V. De Stanislao I. Poloniae Rege.</i>	301
<i>Epigramma VI. Ad Abundium Rezzonicum Senato- rem Urbis Romae.</i>	302
<i>Epigramma VII. In adventu P. Leopoldi & M. Aloy- siae Magnae Etruriae Ducum.</i>	303
<i>Epigramma VIII. Ad Flaminiam Odeschalciam Chisiam.</i>	304
<i>Epigramma IX. Fidei triumphus per S. Thomam Aquinatem.</i>	305
<i>Epigramma X. Ad Josephum Marianum Parthonium , seu ad Josephum Mariam Mazzolariam S. J. Electricorum Poematis Auctorem.</i>	306
<i>Epigramma XI. Ad Clementem Paccaronium Patri- cium Firmanum.</i>	307
<i>Epigramma XII. Ad Clementem XIV. P. M.</i>	308
<i>Epigramma. Julio Caesari Cordarae V. Cl. Franci- scus Carbonius S. P. D.</i>	ibid.
<i>Epigramma XIII. Ad Franciscum Carbonium Jul. Caes. Cordarae responsum.</i>	310
<i>Monitum lectori.</i>	314
<i>Benedicti Volpi Epitaphium.</i>	315

ERRATA.

Pag. lin.

18	6	orde
42	16	suscipiatur
48	14	Eos
50	14	Ferrarentis
57	24	Hispaniensis
59	22	facili
69	12	nuinus
70	30	Nam
72	10	bene mihi crede erit
139	14	Aetheraeque
132	5	regnant
146	32	Iusta
151	ult.	Lazzarinus
153	31	tyrannidum
155	7	paream
156	ult.	Zanotio
159	28	Ferrarius
161	15	hunc
167	1	massa.
169	4	gerrss
172	23	meritas
175	2	ergo
Ibid.	18	Talis
193	1	SESTUS
195	1	lumbisque
200	13	serenus
202	20	Iugatur
206	1	suo
211	29	numerus
219	10	invidia
Ibid.	18	in commun
225	27	quaque
227	ult.	simile
229	28	insulae
235	6	iusta
238	2	semper.
239	4	suo
246	1	Insula
250	4	Contigat
251	18	Genus
276	17	cupiitistis

CORRIGE.

ordo
suspiciatur
Vos
Ferrariensis
Hispaleensis
facile
nullus
Num
bene, mihi crede, erit,
Aethereaeque
regnat
Iuxta
Lazzarinus
tyrannidem
pream
Zanotio
Ferrarius
Hinc
massa,
gerras
meritos
ego
Talia
SEXTUS
lumbisque
serenus
iungatur
sua
numeris
invidiam
in commune
quaque
similes
insulae
iustus
semper
sub
Insula
Contingat
Genius
cupiitistis

ERRATA.

CORRIGE.

Pag. lin.		
Ibid. 23	Amarydis	Amaryllidis
Ibid. 25	relegeutes	relegentes
288 3	descedat	descendat
304 3	Myrtaea	Myrtlea
Ibid. 5	Ipse	Ipsa

LECTOR CANDIDE.

Ex isthac oscitantium typorum segete longe uberiore tute ipse ominaris, huic volumini calamitatis aliquid accidisse. Nempe illud acerbissimum, quod quum coepit institui, ineunte Iulio, ille doctissimus huius editionis auctor, idemque accuratissimus censor castigatorque BENEDICTUS VULPIUS lenta jecoris tabe correptus viribus coepit sensim deficere, donec Idibus Septembr. illa mens, illa virtus ad superos placidissime convolaverit. Interea Sociis studiorum suorum nova spe abreptis, ejus diligentia haud ita facile potuit reparari.

Itaque ut huius rei monumentum, atque meo, atque omnium bonorum hominum moerori ac desiderio lenimen aliquod extet, hoc habeto nitidissimum Epigramma, quod ad ejus memoriam posteritati commendandam, instinctu Mauri Boni librorum eius atque chirographorum haeredis fiduciarii, Vir clarissimus Stephanus Antonius Morellius Ecclesiae Clarensis Praepositus suo & Sodalium suorum nomine dedicavit.



A MEMORIAE Ω

BENEDICTI . GEOR. F. VOLPI . BERGOMATIS

DOCTORIS . THEOLOGI

PRAEPOSITI . ALVMNIS . ECCLESIAE

CREMATIS . REGVNDIS

CENSORIS . VENETI . LIBRORVM . EDENDOR.

SACRI . IVRIS . SCIENTIA . CLARISSIMI

QVI . VIXIT . ANNIS . LXXIII. M. II. D. VIII

VIR . MITISSIMI . INGENI

AVCTOR . CONSILIORYM . OPTIMORVM

DECESS . VENETIIS

IDIB. SEPTEMBR. AN. M. DCCC. IIII

LAETVS . MORTE . SVA


QVOD . IN . SOCIETATEM . IESV

ITALIAE . NVPER . DIVINITVS . REDDITAM

POSTLIMINI . IVRE . RECEPTVS . ESSET

SODALES . VETERES

SENIORI , PIENTISSIMO.







Digitized by Google